



SCRIPTORUM CLASSICORUM

DE

PRAXI MEDICA

NONNULLORUM

OPERA COLLECTA.

VOLUMEN DECIMUM.

PARISIIS, rue de l'école de médecine, No. 14., apud J. B. BAILLIÈRE.

LONDINI, 3 Bedford Street, Bedford Square, apud J. B. BAILLIÈRE.

AMSTELODAMI, apud MÜLLER et Soc.

VIENNAE, apud J. G. HEUBNER.

LIPSIAE,

EX OFFICINA HIRSCHFELDII.

GULIELMI HEBERDENI

OPERA MEDICA

RECOGNOVIT

VITAM AUCTORIS ADJECIT ATQUE EDIDIT

LUDOV. HERM. FRIEDLAENDERUS

MED. DOCT. ET PROF. HAL.

LIPSIAE SUMPTIBUS LEOPOLDI VOSSII
MDCCCXXXI.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

EDITORIS PRAEFATIO.

Rogaverat me jam dudum Leopoldus Vossius, bibliopola de re medica meritissimus, ut collectioni scriptorum medicorum, quae ejus sumptibus paratur, opera Heberdeni revisa et emendata insererem. Cui rogatui eo libentius obsequendum esse putavi, quo majori semper eram studio Heberdeni commentarios de morborum historia et curatione amplexus eosque legere et commendare haud desieram. Antea vero peregrinatio in Britanniam diu jam a me decreta erat suscipienda; qua nactus mihi videbar opportunitatem inquirendi in Heberdeni fata atque scripta relicta felicissimam. Neque spes fore, ut in ipsa tanti viri patria vitam ejus edocerer, me fefellit. Erant adhuc Londini et Cantabrigiae superstites, qui eum cognoverant; vivebat adhuc filius, senex ipse jam venerabilis, tunc acerbissimo filii sui fato perculsus, qui scilicet, quum jam inclyti nominis et professionis salutaris hereditatem aditurus esset, praematura morte maximas omnium bonorum exspectationes destituit. Sed ex aliis praeterea fontibus de Heberdeno notitiam haurire licuit. Etenim quum Londini commorarer, secundo prodiit liber quidam singularis, quo mira elegantia et festivitate vitae quorundam medicorum clarissimorum Anglorum, Radcliffii, Meadii, Askewii, Pitcairnii, Baillii, aliorum enarrantur [1]. Inest illi quoque probabilis Heberdeni mentio, qua potissimum acceptisque simul additamentis ex ore amicorum usus sum in conscribenda ejus vita. Neque ἀσύμβολος fuit ipsius libri auctor, vir mo-

[1] The Gold-Headed Cane. Second edition. London, Murray, 1828.

rum atque doctrinae elegantia perinsignis, qui quum Collegio medicorum Londinensi tabularii praefectus esset, quaecunque in societatis illius aedibus ornatissimis visu et memoratu digna asservantur (sunt vero permulta), magna sua erga me humanitate non solum commonstravit, sed narrationibus jucundissimis suis vere memorabilia reddidit. Talibus instructus adjumentis vitam exposui HEBERDENI editioni nostrae praefixam, ex qua saltem intelligent lectores, tantam fuisse atque tam arctam in viro illo doctrinae et virtutis consociationem, ut utra ipse magis excelluerit vix possit definiri.

Quae ante hos viginti quinque fere annos SOEMMERRINGIUM nostrum immortalem commoverunt, ut editionem commentariorum Heberdeniorum pararet, eaedem me impulerunt rationes ad idem negotium suscipiendum. Quamquam enim ex illo inde tempore ars atque disciplina medica mirifice exculta et locupletata est, atque uberrimus ubique proventus medicorum arte praestantium conspicitur, non ideo tamen HEBERDENUM superatum esse vel facile superatum iri persuasum est. Quas enim in illo admiramur, virtutes quaedam sunt nunquam interiturae adeoque conspicuae, ut cujusvis aevi medicis imitandae proponantur. Etenim studii ardor, quem ad amplificandam doctrinam medicam attulit, industria ac sagacitas, quam in morbis explorandis observandisque, solertia quam in medendo illis, praesertim vero animi ingenuitas, probitas, simplicitas, quas in describendis adhibuit, conspirare quasi videntur ad efficiendam praeclaram illam HEBERDENI naturam indolemque, cujus praestantiam laudare facilius est, quam aemulari. Non assentimur quidem hodie omnibus HEBERDENI de morborum natura sententiis; recessimus a compluribus medendi rationibus ei probatis; medicaminum multorum usum illi acceptissimum aut omnino rejecimus, aut minuimus, aut efficaciorem quendam et aptiorem substituimus; quae vero omnia non obstant, quo minus ex auctoris nostri scriptis permulta gravia et salubria praecepta mutuemur. Quod vero longe praestantissimum est, discunt venerari lectores ingenium vere medicum, obversaturque iis perfecta illa concinnitatis species, quae tempestive jam medicorum animis est informanda. Quamobrem vehementer

concupiscimus, ut tirones medici, scilicet artis jam aliquantum periti, in studium incumbant horum commentariorum, ex quibus, si nihil aliud, discent saltem magnam illam sanctamque veritatis reverentiam, qua permulti carent nostrae aetatis professores, quippe qui saepenumero lenociniis somniorum et hallucinationum atque verborum altisonorum strepitui sinceram rerum descriptionem gratificentur.

Addidi libro commentariolos nonnullos ab Heberdeno nostro Actis Medicis insertos, qui etiam in Londinensi commentariorum editione anni CIↃIↃCCCXVI inveniuntur. Anglice vero conscriptos latine reddidi, qua in re non elegantiae studui, sed inprimis perspicuitati dictionis. Atque ita quoque Heberdenii exemplum imitatus sum, qui stilo suo nonnunquam delicatas lectorum auriculas laedere maluit, quam aliquid de sermonis et sententiarum perspicuitate derogare. Hinc illius emendare scriptionem non ubique correctam vel castigatam religio vetuit; levia tantummodo vitia, quae fortasse typothetarum incuria in priores editiones irrepserant, hoc nostro libro expunxi. Qui si ad renovandam et commendandam Heberdenii memoriam ita contulerit, ut tanto exemplo tironum excitentur animi, medici autem aetate jam grandiores propriae virtutis atque doctrinae imaginem in excelso illo specimine recognoscant ac diligant, operam nostram L. Vossio mihique gratulabor.

Scribebam Halae Cal. Dec. CIↃIↃCCCXXX.

GULIELMI HEBERDENI VITA.

Natus est GULIELMUS HEBERDENUS Londini anno CIϽIϽCCX, atque imbutus hac in urbe primis elementis literarum. Annum quum ageret decimum quartum aetatis, sub finem anni CIϽIϽCCXXIV, missus est Cantabrigiam ibique in Sti Joannis Collegium receptus annis sex praeterlapsis Collegii sodalis cooptatus est. Ex eo inde tempore partim in praeclara hac Musarum sede felicissimaque ingeniorum altrice, partim in metropoli ipsa operam dare coepit HEBERDENUS noster arti medicae, quam deinde, doctoris dignitatem et jura adeptus, per decennium Cantabrigiae exercuit. Veruntamen ut verus doctor existimaretur, scholas habuit quotannis in materiam medicam, discipulis usus assiduis, quorum e numero GEO. BAKER, GISBORNE, GLYNN, alii, fama haud mediocri inclaruerunt. Exstat adhuc tamquam doctrinae exquisitae atque candidi judicii documentum scriptio quaedam sua de Mithridatico et Theriaca [1], anno CIϽIϽCCXLV edita, qua demonstrare conatur, veteribus praeter cicutam, aconitum et animalium venena haud alia fuisse cognita, neque ulla fere horum remedia seu antidota; dein medicinam inclytam illam, sive medicaminum potius farraginem, quae nomen duxit a rege Pontico, quovis seculo fuisse mutatam, ita ut progrediente tempore Mithridaticum quod vocabatur magnopere differret ab eo, quod ipse rex composuerat; denique hunc ipsum non tam ob antidoti sui vires quam ob veneni exilita-

[1] Antitheriaca, an essay on Mithridation and Theriaca. London, 1745.

tem interimere semet ipsum haud potuisse [1]. Doctorem tam eruditum Cantabrigia non diu retinuit, quippe qui anno jam CIƆIƆCCXLVI socius factus Collegii medicorum Londinensium biennio post Londinum se contulit ibique in Societatem Regiam adscitus est. Dici vix potest, quanta illi afflueret aegrotantium turba, quibus vastissima hac in urbe per triginta amplius annos operam indefessam navavit. Veruntamen aetate ad senectutem vergente a medicinae faciendae aerumnis jamjam coepit abstinere, territus RICHARDI MEADII exemplo tunc annum septuagesimum octavum agentis, quocum vehementer jam corporis animique viribus destituto, nihilo vero secius aegros obeunte, ad Ducis Leedensis lectum convenerat. Quod ne sibi accideret opprobrioque verteretur, vetuit animus sapientia egregie corroboratus atque persuasione fretus illa, homines ab amicis ingruentis virium suarum defectionis vix unquam commonefieri; quamobrem munere suo annis aliquot tempestivius se abdicare, quam illi vel hora diutius atque par erat vacare maluit. Et PLUTARCHI auctoritate consilium suum confirmavit. Is enim narrat, Numam regem virginibus Vestalibus annorum triginta castitatem eo praescripsisse consilio, ut primum decennium, quae facienda essent, discerent, secundum vero, quae didicissent, facerent, reliquum autem decennium haec alias edocerent [2]. Ad ejusmodi exemplum et medici vitam instituendam esse ratus, HEBERDENUS ultima demum vitae parte usus est ad doctrinam et experientiam suam uberrimam cum aliis communicandam, quamobrem in fronte commentariorum suorum verba leguntur illa veteris medici: Γέρων, καὶ κάμνων οὐκέτι δυνάμενος, τοῦτο τὸ βιβλίον ἔγραψα.

Itaque, ut senectuti otium et requiem laborum pararet, Vindesoriae in domo quadam sua quamlibet

[1] *Gellius* (Noct. Att. l. XVII. c. 16.) et *Paulus Aegineta* (de art. med. l. V. c. 28.) iisdem fere verbis hanc rem enarrant.

[2] Ὡρίσθη δὲ ταῖς ἱεραῖς παρθένοις ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἁγνείας τριακονταέτις, ἐν ᾗ τὴν μὲν πρώτην δεκαετίαν, ἃ χρὴ δρᾶν, μανθάνουσι· τὴν δὲ μέσην, ἃ μεμαθήκασι δρῶσι· τὴν δὲ τρίτην, ἑτέρας αὐταὶ διδάσκουσιν. *Plutarch.* in Numa. Cap. X.

fere aestatem transegit, hiemem vero Londini, ubi aegrotis non deerat, quamdiu vires patiebantur. Virum artis morumque praestantia tam excellentem, honoribus fuisse cumulatum non est quod miremur, hunc vero, hominem modestissimum, illorum minime fuisse cupidum testificantur omnes, qui cognitum eum habuerunt. Magna floruit gratia apud Georgium III. regem; nihilo tamen minus, quum medicus reginae tunc primum in Angliam devectae nominaretur, honorificum detrectavit munus, ne hoc reliquis negotiis suis in arte factitanda officeret. Sic ad summam pervenit senectutem, eam vero tam vegetam atque salute et hilaritate tantopere insignem, ut, annum quum ageret nonagesimum, omnium fere gratissimum sibi fuisse hunc et commodissimum confiteretur. Neque deseruit illum vigor mentis eximius morte jam appropinquante, ita ut paucis ante eam horis antiqui scriptoris sententiam illam recitaret, mortem propiniorem esse nemini, quam ei, cui non vocata veniret. Anno demum aetatis nonagesimo primo, d. XVI. a. Cal. Jun. CIↃIↃCCCI, propitiae illius placidaeque mortis afflatu diem supremum obiit.

Vix unquam animi candor morumque integritas luculentius habuerunt exemplum, quam GULIELMUM HEBERDENUM, qui perfectam viri egregii atque medici speciem vita sua mirabiliter expressit. Omnibus fere virtutibus, praesertim iis, quae medicum ornant, conspicuus, vir καλὸς καὶ ἀγαθός, ut HIPPOCRATI placuit [1], actiones suas qualescunque e verae humanitatis et sapientiae decretis temperavit. Qui ad promovendam hominum salutem atque commoda amplificanda nihil non suscipiendum esse putavit, eum liberalitate, benevolentia, morum innocentia et honestate excelluisse nemo mirabitur. Maxime tamen animo suo innata et quasi insculpta erat pietas ac reverentia erga Deum O. M., tantoque flagravit Christianae religionis amore, ut hoc atque sincero divinarum rerum studio nemo facile eum superaret. Quod narratiuncula quadam comprobare juvabit. Adiit quondam HEBERDENUM vidua CONYERS-MIDDLETONI, viri haud

[1] τὸ δὲ ἦθος εἶναι καλὸν καὶ ἀγαθόν. τοιοῦτον δ' ὄντα πᾶσι καὶ σεμνὸν καὶ φιλάνθρωπον. *Hipp.* de med. I. p. 56. ed. *Kühn.*

mediocris neque medicis ignoti, ut consilium illius de edenda quadam scriptione a marito relicta audiret. Middletonus, qui jam ante dissertatione sua de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione, cIↃIↃCCXXVI Cantabrigiae edita, magnam sibi medicorum et inprimis Meadii indignationem conflaverat, non is fuit, a quo propter philosophiam, quam profitebatur, magnum in rebus sacris pudorem exspectares; quamobrem non mirabatur Heberdenus, quod ille scripto suo, vanas esse irritasque precationes Deo oblatas, demonstrare studuisset. Declaravit igitur viduae, commentario illo, ex quo quidem mariti doctrina et ingenium, non aeque tamen animi religio eluceret, parum memoriae auctoris consultum iri; se tamen, num quis bibliopola scriptum redimere vellet, quaesiturum. Quum dein comperisset, a bibliopola quodam pretium centum quinquaginta Esterlingorum, ut numos vocant, oblatum esse, ipse viduae ducentos solvit, commentarium vero statim in flammas conjecit.

Quantopere Heberdenus ingenii subtilitate, doctrina atque amore praestiterit literarum bonarumque artium, non solum scripta ejus declarant, sed etiam permulta doctorum et venustorum hominum, quibuscum familiaritate conjunctus erat, testimonia. Qui consuetudine usus est et amicitia virorum sui temporis clarissimorum, e quibus Gray, Bryant, Wray, Cavendish, Hurd, Kennicott, Lowth, Jenyns, Tyrwhitt, Jortin, alii, inprimis appellandi sunt, is profecto nobis fidem facit, non frustra juventutem suam a Musis Cantabrigiensibus melle Attico fuisse nutritam. Quanta in talium virorum conventibus vel symposiis regnaverit elegantia leporum ac erudita festivitas, ex hoc disci potest exemplo. Dono dederat Stuartus, qui cognomine Atheniensis apud amicos vocabatur, uxori Heberdeni cistam ex olea Atheniensi factam ad folia theae conservanda. Cujus doni elegantia permotus quum ingeniosissimus Tyrwhitt versiculos quosdam Anglicos [1] composuis-

[1] In Attic fields, by famed Ilissus' flood,
The sacred tree of Pallas once I stood.
Now torn from thence, with graceful emblems drest,
For Mira's tea I form a polish'd chest

set, ipsos illos GULIELMUS JONES et JACOBUS BRYANT, magis accommodatum esse rei sermonem antiquum rati, pereleganter utraque lingua reddiderunt[1]. Atque hi erant in conviviis illis amicorum joci atque sales, quos tamquam *ἀναθήματα δαιτός* proferebant; sic genio tum indulgebatur. Pauci profecto hodie invenientur medici, antiquis literis adeo imbuti, ut aetate provecta delectentur iis, quarum studium ne juvenibus quidem magnam voluptatem attulit. Quantopere vero illud totam vitam illustret exornetque, quanta illius commoda et beneficia in ipsam senectutem redundent plurimis orbatam gaudiis, exemplo discimus HEBERDENI, quem literae illae, ut cum CELSO loquamur, quamvis non fecerint medicum, excitando tamen artificis ingenium aptiorem sane medicinae reddiderunt. Itaque si quis alius, dignus exstitit, qui Musarum gratia mature jam adepta perpetuo frueretur ad aerumnas vitae laboriosae deleniendas atque seram aetatem recreandam.

Restat, ut de iis quoque dicatur, quae HEBERDENUS ad artem medicam scriptis amplificandam contulerit. Suaserat jam anno CIↃIↃCCLXVI collegio

Athens, farewell! no longer I repine
For my Socratic shade and patroness divine.

[1] Quam alter Graecam, alter Latinam fecit versionem, cum lectoribus, quibus haec non prorsus aliena videntur a medicae artis gravitate, communicamus.

Παλλάδος ἦν ποτε δένδρον, ἐπ' Ἰλισσοῖο ῥεέθροις
Κάρπῳ ἀγαλλόμενον καὶ λιπαρῇ ψεκάδι.
Τέμνε μ' ἄρ' ὁ γλύπτης καὶ ἀπόξεσε, νῦν δὲ Θεανοῦς
Δαιδαλέη λάρναξ Ἰνδικὰ φύλλα φέρω.
Χαῖρ', ὦ Κέκροπος αἶα· τί μοι μέλει; οὐκ ἐπιθυμῶ
Σωκρατικῆς τ' ὄχθης, γλαυκοφίλου τε θεᾶς.

Hospes ego in terras nuper delata Britannas,
Arbor eram aegiferae maxima cura Deae.
Exul ab Ilisso Thamesina ad littora sistor,
Hei mihi! dulce solum, patria terra, vale!
Non tamen in fines cupio remeare priores;
Omnia, quae amisi, reddidit una domus.
Hic Musae atque artes, hic dignus Socrate sermo,
Et, pro Pallade, me Pallade nata fovet.

medicorum Londinensi, ut commentarii ederentur de rebus ad medicinam pertinentibus; quod consilium quum omnibus probaretur, edita sunt deinceps volumina tria Actorum Medicorum (*Medical Transactions*). Insunt tum his, tum Actis Philosophorum (*Philosophical Transactions*), ut vocantur, complura Heberdeni scripta. Maximam vero famam commentariis, quos ipse de morborum historia et curatione conscripsit, adeptus est. Quorum conficiendorum ratio erat haec. Mos illi fuit, ad aegrotorum lectos quaecunque memoratu dignissima viderentur, cito calamo in diario quodam suo adnotare, adnotata dein singulis mensibus perlegere et excerpere ea, quae aut morbi alicujus naturam, aut remedii vires illustrare videbantur. Sic perinde, annos jam natus duos et septuaginta, commentarios suos de historia et curatione morborum confecit, quibus in concinnandis summa religione id egit, ut nihil nisi ea literis mandaret, quae adnotata legerat, quamobrem ne memoriae quidem suae aut rarius tantummodo confidere, nedum ex aliorum libris mutuum aliquid sumere voluit. Qui ex purissimis experientiam fontibus haurire, aurumque solidum non vero auri ramenta reponere consueverat, noluit aliorum additamentis atque symbolis collectas proprio studio divitias augere. Tanta vero fuit ejus modestia, ut se vivo aureum librum edi haud pateretur; quem dein post patris obitum filiorum alter, generosus patriae artis atque virtutis heres, in lucem protulit.

Variae exstant imagines, quibus Heberdeni vultus orisque lineamenta cognoscantur. Nulla vero praestantior imago est ea, qua artificiosissime depicta coenaculum in aedibus splendidissimis Collegii medicorum Londinensis decoratur. Quum eam intueremur, visae sunt nobis omnes illae amabiles Heberdeni virtutes ex ipsius imaginis facie atque habitu relucere. Fronti vidimus mentis gravitatem sed serenitate temperatam insidere, in placidissimo oculorum obtutu animi candorem et tranquillitatem, in oris labiis lenitatem et humanitatem recognovimus, atque ipsum caput molliter inclinatum εὐτραπελίην illam[1] atque in aegrotos facilitatem et comitatem, qui-

[1] *Hippocr.* de dec. hab. p. 71. l. c.

bus maxime noster excelluit, visum est indicare. Non potuimus non animae tantis dotibus ornatae domicilium, vel potius domicilii simulacrum, admirari; denuo autem intelleximus, quam divinitus dicunt ori et vultui praestantissimi cujusvis medici impertitam esse potentiam, hanc animi praestantia effici e vultu et habitu resplendentis, atque ita comparatam longe efficacissimam esse ad animos omnium hominum alliciendos, consolandos erigendosque.

INDEX OPERUM HEBERDENI.

GULIELMI HEBERDENI

COMMENTARII

DE

MORBORUM HISTORIA

ET

CURATIONE.

Γέρων, καὶ κάμνειν οὐκέτι δυνάμενος, τοῦτο τὸ βιβλίον ἔγραψα, συντάξας τὰς μετὰ πολλῆς τριβῆς ἐν ταῖς τῶν ἀνθρώπων νόσοις καταληφθείσας μοι πείρας.

ALEX. TRALL. Lib. XII.

[illegible]

COMMENTARII

DE

MORBORUM HISTORIA

ET

CURATIONE.

CAP. I.

De victu.

Quomodo sanis, quomodo aegris vivendum sit, medici saepenumero videntur nimis curiose et subtiliter disputare. Quorum praeceptorum sollicita atque anxia observatio secundae valetudini non raro nocuit, et adversae incommoda auxit. Usus jamdudum docuit humanum genus, qualis victus et quae vivendi ratio plerisque omnibus hominibus conveniat; et inter ea, quae vulgo sunt salubria, nullum cibi genus fugiendum est. Illud autem vix admonendi sunt qui student se praestare liberos a morbis, eo vero minus qui iis tentari coeperunt, cavendum esse a varietate ferculorum et condimentis exquisitioribus, quibus, cum cibi cupiditatem nimiam faciant, praegravatur stomachus, et corpus omnigenis morbis fit opportunum. Assa vero, an elixa eligenda sint, olerumve, utrum utro sit utilius, sibi quisque, modo communi judicio non caret, quam alius quilibet, tutius meliusque deprehendet.

Potui aptissimae sunt cerevisia tenuis et aqua pura. Spiritus, qui vocatur vini, et vinum aqua mixtum, cane pejus et angue sunt vitanda. Etenim plures cognovi, qui horum usu sensim sese assuefecerunt liquoribus vinolentis, quibus indies meracioribus sumtis brevi omnino carere non potuerunt, donec e sobriis et sanis facti sunt ebriosi et valetudinarii; tam animorum, quam corporum debilitate gravissimas hujus erroris poenas luentes.

Febrientibus profecto cautio quaedam major est adhibenda; attamen vix tanta, quanta saepe imperatur. Nam sponte illi sua cibum ex animali materie, maxime robustiorem et acriorem, fastidiunt, et comedere non possunt sine gravi offensa ventriculi et morbi incremento, quamdiu febris intendatur; inclinata vero ea et decedente, aegri saepe expetunt carnes leniores et impune iis utuntur.

Britanni, dum valent, cibum ex animali materie copiosius, quam pleraeque aliae gentes, assumere dicuntur; quem tamen iidem morbo occupati maxime omnium fugiunt. Hunc nostrum morem sua etiam aetate obtinuisse scribit Erasmus. Sed, ut maxime febris saevierit, tuta erunt juscula tenuiora, et gelatinae ex carne, et quicquid in hortis et in agris colitur, si excipiamus ea, quae sunt acria aut aromatica. Lac et ova, nescio qua de causa, a nonnullis interdicuntur in omni febre; quae tamen vel in pessima, ut mihi videtur, tuto assumuntur, modo aegris ipsis fuerint jucunda.

Sitis febrilis optime restinguitur aqua pura; neque referre puto, tepida, an frigida bibatur. Tantum etiam utriusvis dari debet, quantum ipsi libitum fuerit. Neutiquam vero auctor essem, ut plus liquoris ingeratur, quam aut cupiat, aut ventriculus facile ferat. Sin aqua nimis fatua videatur, licebit in ea dissolvere conservam ribesiorum et varios syrupos, vel in eam immittere poma assa vel cruda concisa, vel tamarindos, salviam, melissam, aut panem tostum. Eodem valet aqua, in qua semen farinaceum decoctum est, vel cum qua contrita sunt semina oleosa, item lac aqua mixtum. Quae omnia, et alia hujus generis multa, vix mutant aquam, nisi quod saporem illi gratiorem conciliant.

In omnibus morbis, et per totum eorum spatium, ipsi aegro permittendum est, modo neque deliret, neque insaniat, tenebitne se in lecto, an ab eo abstinebit. In hac re vires et voluntas aegroti unice sunt respiciendae: et quis illo melius noverit quid ferant vires, aut unde solatii plurimum percipiatur?

Dubium multis fuit, nescio quid timentibus, de mutandis aegrorum linteis; pari quidem jure ac alii timuerunt aërem cubiculi foedum noxiumque puriori ac salubri mutare. Nullum certe periculum instare debet, ne frigus aegrum laedat: nam famula, nisi prorsus inexperta sit, lintea nova aegrotanti ita inducet, ut frigido diutius non objiciatur, quam tuto fieri novimus in multis aliis necessariis ministeriis. Nonnulli etiam mira narrant de odore saponis pernicioso, quem lintea recens lota spirant; quapropter monent infirmos, si lintea sint mutanda, iis solis uti, quae

alii prius induerunt[*]. Quo quidem pacto odor saponis tolli potest; nemo tamen, cui munditia cordi est, hoc pretio incolumitatem sibi emere non gravaretur. Quodsi saponis vapor adeo esset corpori inimicus, quicunque in sapone conficiendo, vel in linteis lavandis occupantur, incommoda valetudine conflictari necessarium esset. Verum longo usu didicimus, aegros, dum lintea foeda mundis commutant, adeo non laedi, ut summo inde perfundantur solatio, in somnum blandum et recreantem non raro desinente.

CAP. II.

De ratione medendi.

In morbis levandis principio considerare oportet, locusne sit exinanientibus; id est, num censeserint plurimi medici in similibus casibus utilia esse quae vomere faciant, quaeve movent alvum, urinam, sudorem, salivam, aut sternutamenta, sanguinis missionem (per hirudines, cucurbitulas, vel lanceolam), denique exurentia, aut exulcerantia.

2. Deinde, an dentur specifica quae vocantur, sive illa quae propriam vim habent adversus morbum, quo aeger laborat. Multa hujus generis ubique venditata sunt, quorum paucissima fautorum promissis et medicorum votis responderunt. Nusquam magis convenit vetus illud, νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. Hujus tamen nominis honor merito tribui potest argento vivo ad morbos Veneris; cortici peruviano ad febres intermittentes, sulphuri ad scabiem, opio ad quasdam distentiones, et aquis Bathoniae ad ebriosorum fastidium.

Praeter haec pauca, dubito an medicamenta decem alia possint reperiri, quae ab idoneis auctoribus in specificorum, id est, certorum remediorum classem relata fuerunt, quorumque fama postea usu comprobata est. Non sum nescius quanto studio decantata fuerunt borax ad aphthas, pulvis Portlandicus ad arthritidem, scilla et gummi foetida ad asthma,

[*] Diemerbroeck de peste, lib. II. c. 3.

aqua kali puri ad calculum urinae, cicuta ad cancri noma, electrificatio ad coecitatem, antimonium ad febres continuas, cerussa acetata ad sanguinis profusionem, et nonnulla forsitan alia adversus alios morbos. E quorum medicamentorum numero si exemeris quae vel nullas habent vires, vel exiguas, vel inconstantes, vel etiam periculosas, vix unum et alterum relictum iri crediderim.

Fieri tamen potest, ut quorum facultates dubiae sunt, aut inconstantes, ea, modo tuta sint, medicus interdum non invitus experiatur.

3. Tum, saepe vomitum, aut alvum fusam, aut dolorem, et alia signa adversa, ubi majorem in modum aegros exercent, remediis idoneis lenire oportebit. Quem ad finem opium saepenumero optimum auxilium est.

4. Tum, in morbis longis, qui diu traxerunt, interdum non abs re erit, confugere ad ea, quae vim habent corpus vehementer afficiendi, si forte per hoc malus ejus habitus in saniorem mutari possit. Hujus generis sunt argentum vivum, antimonium, cicuta, electrificatio.

5. Postremo, ubi nullus praedictis locus fuerit, ibi illud solum moliri oportebit, ut vires, quantum fieri potest, conserventur, utque omnes naturales actiones quam minime laborent; verum ut ciborum cupiditas, et concoctio, ut alvus, et somnus, et quae sunt hujusmodi, quam maxime fiant, quemadmodum naturaliter esse debent.

Hoc, quod interdum unicum auxilium superest, nequaquam ita accipi velim, tamquam quod non inprimis necessarium est in omnium morborum curatione. De quo quidem praecepto, cum permagni refert ad aegrotantium salutem, paulo fusius disserere libet.

Τὸ ἐνορμῶν — ψυχὴ — Archaeus — spiritus animales — Natura — His et aliis quibusdam vocabulis usi sunt medici ad designandum principium illud vitae, sive incognitam ἐνέργειαν, qua animantia ab inanimatis distant.

In physiologia et in pathologia humani corporis explicanda, modo haud satis, modo nimium tributum est principio et fonti vitae animalis. Quippe alii de facultate hac obscura loquuntur tamquam de re bene

cognita et perspecta, cujus administratione contendunt se omnium corporis actionum, et remediorum, rationem reddituros; ingeniis suis multo magis confisi, quam experientia et rerum usu docti. Alii contrarium errorem errantes, praetermissis facultatibus, quae vitae propriae sunt, nodos omnes per rerum inanimatarum leges student expedire.

Quicquid demum sit illud, quo vita animalis continetur, usu instructi sumus variis rebus, quae vires ejus vel augere possunt, vel minuere. Nempe enervant omnia, quae dicuntur narcotica, tum maxime herba digitalis. Contrarios edunt effectus vinum, et potiones meraciores, et quicquid ventriculum reficiat, aut fortiter sensus irritet. Illud tamen tenendum est, nimio vino obrui vires, quae a quibusdam narcoticis parce adhibitis haud mediocriter recreantur.

E narcoticis quaedam vulneri infusa nocent; plura, ac fere omnia quae erigunt animum, nihil agunt nisi in ventriculum demissa: quae quidem pars tantam habet dominationem in universum corpus, ut res quaedam jucundae, aut noxiae, quamprimum stomachum contingant, recreant nos penitus et reficiunt, vel affligunt, aut etiam occidunt.

Medici profecto est, signa morbi quaecunque adversa depellere, vel levare, quantum id tuto fieri potest; attamen primum omnium studere oportet, ut vita ipsa, quae in omni aegrotatione aliquid detrimenti capit, sustentari, et incolumis adversus impetum morbi praestari possit.

In iis rebus, quae vitam jacentem erigunt excitantque, numerantur quaecunque sensus irritant; quae quidem praesenti, at brevi auxilio sunt ad defectionem animae, et debilitatem repentinam. Diutius movent vinum et aromata; et proinde utiliter adhibentur in multis morbis, ubi vires jacent: sed videndum, ne usus liberalior nimium faciat calorem, aut etiam ebrietatem. MORTONUS centum fere abhinc annos in non levem reprehensionem incurrit, propterea quod aromatibus praeter modum usus est ad refocillandos, ut ait ipse, exsuscitandos, erigendos, instaurandos et stimulandos spiritus animales. Tutius simul et efficacius praesidium ventriculo vitaeque petitur e medicamentis amaris, aut leniter adstringentibus. Flos chamaemeli in pulverem tritus plerisque

satis jucundus est, aut certe tolerabilis. Cortices, ligna et radices in aquam immittere praestat, vel ex aqua decoquere; qui humor colatus ipsis medicamentis contritis saepe anteferendus est. Bene est, quod inter ea, quae terra gignit, hujus generis multa sunt. Nulli vero cedit cortex peruvianus. Hujus corticis unciae, et radicis zingiberis drachmae, si aquae ferventis libra superinfundatur, fiet liquor, cujus sesquiuncia vel unciae binae in quolibet fere morbo tuto et utiliter dari possunt. Sed cortici peruviano a quibusdam objecta sunt crimina, nescio quae, inflammationem augendi, et reprimendi pituitam: ajunt enim vim adstringendi in hoc cortice tantam esse, ut fibras, quae in omni inflammatione nimis tenduntur, adhuc magis intendat, impediatque ne faucium et pulmonis membranae pituitam expellant. Cui quidem doctrinae, satis speciosae, in scholis medicinae forsitan assentimur; cum autem ad usum et experientiam ventum fuerit, assensio illa omnis, nisi fallor, elabitur. Jamdiu enim est, quod cortex in pessimo inflammationis gradu, cum prope abest a gangraena, tutissime datus fuit, ita ut huic malo multi putant nullo modo melius succurri posse; tum quoque interdum vidi illum non parca manu adhibitum ad variolas, sine ulla pituitae remissione; quin etiam in quodam asthma fere deploratum per annos aliquot multo mitius factum est, dum sumeret quotidie hujus medicamenti scrupulos duos mane et vespere. Ubi diligentia adhibita est, ne ventriculum praegravet opprimatque, nullus dubito quin in quocunque fere morbo tutum saltem, si non efficax remedium sit.

Quod attinet ad facultatem confirmandi stomachum viresque, crediderim hunc corticem idem valere ac plurimas alias herbas amaras. Hoc tantum nomine ceteris anteferendus est, quia corpori, sub febre intermittente, proprie amicus esse cernitur. Tamen si quis medicus vel aegrorum, vel suas ipsius suspiciones penitus tollere non potest de veneno nescio quo in hoc cortice latente, illi non deerunt multa alia medicamenta amara huic cognata, quae, cum pariter stomachum excitant, corpus universum confirmabunt, facientque, ut cum morbo feliciter contendat.

Quod modo praeceptum est, mihi videtur principem locum tenere in ratione medendi. Ad hoc mo-

dici animus in omnium morborum curatione attendendus est; in multis nihil potest moliri praeterea.

Maximum instat periculum in omni aegrotatione, ubi stomachi vires adeo debilitantur franguntur que, ut res omnes respuat et aversetur; tamquam conscia foret natura vitam ad finem properare, et nulla ope revocari posse, et proinde omnem rejiceret. Hanc, ut ita dicam, mortem ventriculi totius vitae interitus brevi subsequi consuevit.

CAP. III.

De abdominis malis.

Hydrops, graviditas, scirrhi, et inflatio intestinorum sunt quidem praecipuae tumentis abdominis causae; aliae tamen interdum incidunt. Venter puerorum durus et intentus diutius perseverat, quam qui inflationi, et medicamentis purgantibus citius cedit, quam qui scirrhis tribui possit. Menstrua in vetulis penitus finita, vel in junioribus diutius suppressa, non raro excipiuntur tumore ventris menses aliquot manente. Post gravem capitis dolorem venter tumuit horae spatium; item complures dies post abortum, atque post puerperium.

Credibile est has ventris intentiones similes esse earum, quas multa venena in corpore excitant, perturbatis, uti conjicio, nervorum officiis. Utcunque hoc fuerit, in quibusdam hujusmodi tumor triennium perduravit.

Abdomen in quadam turgidum semel atque iterum subsidit die secundo vel tertio ab exactis menstruis, protinus ut aquae libra ex utero effluxisset. In alia, cujus abdomen ultra biennium tumuerat, tumor saepe repentinus exoriebatur etiam in aliis corporis partibus, nempe femoribus, dorso, pectore, et collo, ad dimidii capitis infantis magnitudinem; et quamquam ventris moles semper foret justo major, mane interdum naturalem modum haud multum superaret; mox tamen momento temporis in tantum assurgebat, ut aegrae persuasum esset cutem mox ruptum iri. Eadem saepe percipiebat motum quendam propagari a ventriculo ad artus, qui protinus convellebantur.

Abdomen saepe patitur dolores similes eorum, qui solent molesti esse in variis partibus pectoris; scilicet non pertinentes ad viscera, sed proxime accedentes ad rheumatismum. Hi dolores diu aegros trahunt. Remedia sunt linimentum ammoniae [1], cum vel sine tinctura opii, emplastrum cymini, vel cantharidis; et ulceratio diutius servata: haec sunt extrinsecus admovenda. Intus convenit medicamentum ex oleo, cui tantum salis volatilis adjectum sit, quantum os et fauces facile tulerint; postremo opium.

CAP. IV.

De Abortu.

Mulier quaedam quinquies et trigesies abortum fecerat. Abortus tertio plerumque mense contingit; quibusdam tamen feminis perpetuum est, ut quinto vel sexto mense partus elidatur; et in his lac stillans ex uberibus abortum jamjam adfuturum indicat. Quaedam, gravida gemellis, alterius abortum fecit, alterum reservavit, qui justo tempore in lucem editus ad aetatem adultam pervenit.

Corporibus gravidarum collisis, aut vitiatis, aut debilitatis, saepe incidunt abortus. Qui si crebrius fiant, profluvium album fere semper inferunt: quin etiam valetudinem conquassant, atque totam illam malorum cohortem invitant, quibus affectus continetur hystericus.

Femina crebros passa abortus, postquam iterum gravida esset, coepit uti cortice peruviano, cujus tres drachmas quotidie sumsit diutius, et justo tempore enixa est infantem omnibus, quos antea pepererat, valentiorem.

---

[1] Medicamentorum compositiones explicabit pharmacopoea Londinensis.

CAP. V.

De alvo.

Homines frequentia alvum exonerandi plurimum inter se differunt. Alteri semel tantum singulis mensibus venter solutus est; alteri duodecies quotidie descendit per triginta annos, uti ipse mihi narravit, et dein septies quotidie per septem annos; neque vir hic interea macuerat, quin potius aliquanto habitior factus erat.

Tam feminis quam viris contigisse novi, ut stercora multos menses restarent coacervata in intestino recto, ubi coacta sunt in molem duram, majorem quam quae corporis viribus expelli posset sine auxilio chirurgi. Signa hujus mali sunt dolores ventris et perpetua desidendi voluntas etiam statim post dejectiones; tum vero stercora non nisi liquida redduntur, et simul est difficultas urinae.

Interior intestini recti tunica adeo interdum laxatur, ut cum stercore semper descendat, aut etiam inter equitandum; nec redeat, donec manu fuerit reposita. Fomentum adstringens post singulas dejectiones utiliter adhibetur.

A taenia et ascaridibus fit prurigo ani vespere molestissima.

Nonnullos tentant sine causa manifesta haud mediocres ani dolores, qui interdum mulcentur, saepius exasperantur dejectionibus; non raro saeviunt magis in lecto et noctu, quam aut interdiu, aut inter ambulandum, aut equitandum. Per multos annos non cessarunt aegros fatigare.

Exulceratio facta per exiguum emplastrum cantharidis imo femori admotum, et tres menses servata, profuit adversus hoc malum.

Similes his dolores oriuntur ex inflammatione ani aut vicinarum partium, solentque sedendo, stando, tussiendo, sternuendo, mejendo, majorem in modum intendi. Si hujusmodi inflammatio solvi nequeat, verum suppuret et fiat abscessus, sanato demum ulcere saepe eveniet, ut valetudo, ubi fuerit tenuior, intra breve spatium prorsus perdita sit, vel aliis de causis, vel a tabe pulmonali ingruente; sive quod morbus initio fuerit totius corporis, seu quod habitus

longa suppuratione fuerit vitiatus, priusquam per se, vel ferro, pus emitteretur. Ut praecaveatur exitus hujusmodi infaustus, utile fuit ulcus excitare prope genu in femoris parte interiore, quamprimum annus spectaverit ad sanationem [1].

CAP. VI.

De aneurysmate.

Tumores colli aneurysmatici durarunt multos annos sine aliis incommodis praeter tumorem et spirandi difficultatem; tandem vero in mortem repentinam desierunt. Haud pauci tumores vel aneurysmatici, vel certe manifesta pulsatione aneurysmatum aemuli, post multos tandem annos sponte sua coeperunt imminui, et fere finiti sunt.

CAP. VII.

De angina et febre rubra.

Consueta aliarum febrium signa in febre etiam rubra incipiente nascuntur; porro die primo vel secundo cutis praeter solitum rubet, et fauces plerumque leviter dolent; simul in nonnullis fiunt tumores glandularum, cum in aliis locis, tum maxime post aures, et modo discutiuntur, modo maturescunt. In aliis vero brachia, et praecipue digiti, tumuerunt; id quod nullo discrimine experti sunt et illi, quos levissime attigit hic morbus, et quos occidit.

Tertio vel quarto die faucium dolor fere conquiescit; sexto autem rubor cutis incipit se subducere; et ubi omnia rite procedunt, morbus post septimum diem festinanter recedit.

Interdum rubor per universam cutem diffunditur; interdum pectus et brachia solummodo rubent; et non raro vidi exteriorem carpi partem levi rubore

[1] Vide quae de fistula ani infra praecepta sunt.

suffusam, cujus nusquam alibi reperiri vestigium potuit. Cutis nunc rubet sine ullis maculis, aut aspredine; nunc in moleculas attollitur, similes iis quae ex urtica nascuntur; interdum quoque color in aliis locis saturior, in aliis dilutior est; vidi etiam pustulas exiguas hic illic sparsas, morbillorum speciem satis accurate repraesentantes.

Morbo finito tota cuticula solet renovari; nam vetus vel in squamas furfureas abiens deteritur, vel ejus jam mortuae, et cuti subjectae male haerentis, majores laminae decidunt. Color parum refert ad aegrotantis salutem. Vidi eum insigniter auctum sine fructu, et imminutum sine detrimento. Lecti tepor non semper utilis est ad eliciendum hunc ruborem; memini enim illum in quadam languidiorem fuisse, dum in lecto jaceret, et postquam surrexisset semper magis viguisse. Huic colori saepe accedit cutis pruritus satis molestus.

Hic morbus haud multum dissimilis est morbillorum; a quibus tamen sollicite discernendus est, cum medendi rationem longe diversam postulet. Sub hac febre rubor late inficit cutem; qui in morbillis dividitur in multas distinctas maculas, inter quas naturalis color conspicitur. Tum vero in morbillis maculae illae rubrae paululum eminent supra reliquam cutem, sic ut digito super eas leniter moto quaedam scabritia deprehendatur; quae maximam partem nulla est in febre rubra, nisi forte exigua aspritudo in brachiis. Deinde tussis, sternutamenta, oculorum mador, et palpebrarum tumor, quae signa sunt morbillorum propria, in hac febre desiderantur. Postremo, morbilli tertio fere die in facie oriuntur, et quinto vel sexto in brachiis; quod in febre rubra contra fit, ut modo dictum est.

Languor et sollicitudo sunt quidem plerorumque omnium febrientium communes; hos tamen, de quibus sermo est, majorem in modum fatigant. Quin etiam acer humor copiosus in fauces et nares interdum depluit, partim salivae specie exspuendus, partim e naribus destillans, unde aegri fiunt surdastri, rauci, vel fere muti, et interea sapor omnium rerum et odor illis perit. Hoc profluvium acre interdum exulcerat intus nares et totum labrum superius, sic ut crusta obducta multos dies perseveret post morbi fugam.

Febris modo descripta saepe quidem mortifera est; saepius vacat periculo; et interdum adeo mitis est, ut haud ultra paucas horas duret, et forsitan inobservata praeteriret, nisi brevis quidam languor, et nonnullus cutis rubor, et alii in eadem domo hoc morbo impliciti de natura languoris dubitare nos non sinerent, etiam in iis, qui tam leviter laborant.

Haud temere alium morbum repereris, in quo aegri saepius desipiunt, et cum minore periculo. In ceteris febribus mens raro turbatur, donec aegri jam in malis sunt; ideoque hoc signum non injuste terret: sed in febre rubra aegri vel ipso primo die delirant; atque interdum, licet omni alio periculi indicio vacent, tamen non cessant aliena loqui singulis noctibus ab initio morbi usque ad finem.

Inter impuberes utriusque sexus contagione facillime propagatur haec febris. Mares vigesimum annum egressi parum illi sunt opportuni; quamquam unum atque alterum vidi, qui post trigesimum annum in eam inciderant. Feminas autem non modo adultas, sed etiam vetulas non paucas, eadem tentatas curavi; quo tamen aetate fuerint provectiores, eo securiores erunt ab hoc malo.

Nondum satis exploratum habeo, quamdiu semen hujus affectus in corpore delitescat, priusquam accendat febrem et alia sui indicia prodat: memini tamen sanam puellam accessisse ad puerum hoc morbo implicitum, quae quinto post die coepit ipsa aegrotare; et fieri potest ut idem ubique spatium intercedat inter contagionem et febris initium. Nam in variolis novimus certam hujus intervalli legem in omnibus fere aegrotis servari.

In iis, qui hoc morbo perituri sunt, fieri solet circa quintum vel sextum diem torpor, aut spirandi difficultas, et cum hac interdum sputa cruenta, licet pulmones antea integri fuerint. Nonnullis quidem, sed perpaucis, contigit esse tam infelicibus, ut signis periculosis omnigenis fatigati intra triduum succumbant.

Qui ex hoc morbo convalescunt, iis, febre jam inclinata et pene victa, glandulae sub auribus nonnunquam tument et non leviter dolent; interdum quoque in pus abeunt. Neque vero testiculi semper fuerunt liberi a tumoribus; artusque diutius vexati

sunt doloribus; quales sunt rheumaticorum, et aqua inter cutem.

§. 2. De angina.

In febre, quae modo descripta est, aliquis semper est cutis rubor, et plerumque nonnullus, sed obscurus faucium dolor. Quodsi fauces exiguis ulceribus obsessae paulo vehementius doluerint, tum, utcunque cutis colorata sit, morbus non ab hoc colore, sed a faucium affectu nomen habet, et angina maligna vulgo dicitur. Quin etiam multi existimant cum nomine naturam quoque febris mutari. Qua de re judicet lector, postquam morbi utriusque historias secum animo perpenderit.

Saepe equidem dubitavi, febrisne in quibusdam antecessisset faucium crustas et ulcuscula, an ea secuta esset. Etenim vel primo febris die interdum vidi fauces istiusmodi ulceribus occupatas, quae vix credibile erat intra dieculae spatium in tantum crescere potuisse. Ortus autem harum crustarum aegros facile latet, cum dolor initio est satis modicus neque comparandus cum illo, qui fit ex faucium inflammatione. Devorandi etiam labor vix est ullus, aut saltem opinione multo minor, si quis e faucium conditione illum aestimaret.

In locis mox ulcerandis cuticula videtur solito pallidior, et brevi postea fit alba, aut cineritia, quae avulsa, vel sponte sua rimas agens, sordidum exhibet ulcus sine ullo pure. Hae crustae solent occupare tonsillas, velum pendulum palati, uvulam, oesophagum, tracheam, et totas intus nares; e quarum partium tumore, ubi ulcera fuerint alta et numerosa, aeger fit raucus, vel vox illi fere supprimitur. Aliquando etiam guttur extrinsecus et tota facies tument.

Vidi ego primo morbi die cutem universam rubore suffusam. Interdum brachia tantum rubuerunt, et pectus. In aliis hic color non nisi quarto morbi die in conspectum venit: denique in quibusdam nullus omnino rubor fuit per totum morbum. Colore vigente aeger non relevatus est, et decedente non pejus habuit.

Inspectis faucium crustis conjectura quidem fieri potest de periculo aegri, quod eo majus erit, quo la-

tius illae manent, quo altius carnibus insideant, quo haereant pertinacius, quo saepius renascantur et magis ad gangraenam spectent. Conditio tamen harum crustarum index est, non autem causa periculi. Febris enim istiusmodi est et in tantum affliguntur vires, ut liceat praeclare intelligere gravius multo subesse malum, quam uvulae aut tonsillarum affectum; quas in aliis morbis saepe videmus sine vitae discrimine erodi, quas etiam novimus tuto posse excidi. Haec itaque ulcera, non secus ac in peste bubones et carbunculi, cum morbum quidem indicant, tamen periculum a febre sola pendet.

Morbus hic modo tam mitis est, ut nulla remedia postulet; modo tam gravis, ut omnia vincat. Nonnulli secundo die torpent, et difficulter spiritum trahunt, reflexo, quantum maxime fieri potest, capite; atque ita, muco sordido et graveolente e naribus fluente, faucibusque fere putribus, perierunt. Contra alii, postquam levissima hujus morbi signa per biduum experti sunt, nullo negotio convaluerunt. At plerisque febris accenditur non mediocris, quae vix septimo vel octavo demum die in melius mutari coepit. Simul in quibusdam salivae cursus notabilis ex ore fertur.

Languor est his aegrotis, et debilitas, et jactatio, majores quam pro ratione febris. Morbo in pejus verso intenditur sollicitudo et non raro accedit torpor; tum quoque mucus sordidus e naribus destillat, spiritus olet, et resupinato collo aegro ducitur; cibi etiam et medicamenta respuuntur, neque tamen ideo quia devoratio molesta est, quae saepe ad mortem usque, quod miratus sum, satis facilis manet, quamvis fauces sordidissimis ulceribus fuerint undique circumtectae et spiritus pene interclusus. Tracheam forsitan magis quam oesophagum occupant haec ulcera.

Inter signa rariora numerari potest sanguis e naribus ubertim profluens. Finito morbo nonnullos adoriuntur dolores et tumores rheumatici. Novi quos hic morbus bis tentaverit; quod tamen perpaucis accidit.

Anginam in morbis ineuntis aetatis recte numeraveris. Mares certe, qui jam adulti sunt, raro cum ea conflictantur. Duos curavi juvenes, qui annum

vigesimum attigerant; item virum unum robustum, qui trigesimum annum excesserat. Praeter hos autem neminem marem adolescentia egressum in hoc morbo me vidisse memini. At usu didici feminas nunquam prorsus securas esse ab hac valetudine; quamquam vetulae sint illi minus opportunae, quam juniores. Quae autem huic febri maxime subjecta est, eadem aetas tenera gravissime periclitatur; contra ac fit in variolis et morbillis.

Incise pueri cadavere sexto morbi die extincti, velum pendulum palati plane putre erat, tonsillae vero extrinsecus fuscae, sordidissimae, intus lividae; uvula muco crasso, membranam dixisses, contegebatur; epiglottis et oesophagus integri erant. Mucus autem ille tracheam quoque velabat usque ad ejus divisionem, in cujus superiore parte fere in membranam coierat, in inferiore muco similior erat.

Ex iis, quae de febre rubra et angina memorata sunt, longe verosimillimum videtur, unum eundemque morbum hoc vel illo nomine appellatum fuisse, prout indicia alterutra gravius incubuerint. De quo etiam id nos facit certiores, quod ambo una semper fiunt vulgares. Atque haec procul dubio vincet sententia, modo illud concedatur, cujus, ni fallor, ipse testis fui, nimirum inter plures pueros et puellas, qui, ut saepe fit, in unis aedibus simul correpti sunt, hos febrem rubram, illos vero anginam fuisse expertos. Verum, ut maxime fuerint hi morbi diversi, meo quidem judicio, utriusque curatio eadem esse debet; si exceperis illa remedia, quae, ut quibusdam visum est, faucibus sunt admovenda.

Paulo magis interest, hic affectus, tamquam variolae, nunquamne repetat. Equidem nullus dubito, quin nonnulli bis illo fuerint impliciti. Patet tamen hoc raro fieri, cum aliter in tam vulgari morbo secunda contagio non minus certa esset, quam in scabie, aut morbis venereis.

Aliquos curavi adultos, qui saepe vexati fuerunt dolore faucium, et ulcusculis prorsus similibus illis, quae in angina nascuntur. Tamen febris vel nulla, vel levissima fuit et color cutis naturalis. Et siquidem incommodi aliquid habuerit hic affectus, tamen adeo vacavit periculo, ut haud sciam an quoquo modo pertineat ad anginam.

Quod attinet ad curationem febris rubrae et anginae, levis iste faucium dolor, longe alius quam qui fit ex inflammatione, sanguinis missionem certe non postulat; quam etiam horum aegrorum tenera plerumque aetas et habitus corporis infirmus non obscure prohibent. Interdum tamen juvit modica sanguinis missio initio morbi, cum ardor et dolor capitis vehementius fatigarint aegrum cibis lautioribus assuetum. Sed eam in plerisque tutius omitti putaverim, et in paucissimis utiliter repeti posse; quanquam non negaverim me adfuisse nonnullis, quibus sanguis bis detractus fuerit impune. Alvus semel quotidie soluta nemini, quantum scio, nocuit; at nunquam auctor essem ut saepius moveatur. Quod si sua sponte fuerit solutior, quantocyus erit cohibenda. Morbo tamen mitigato, praesertim in pueris, utiliter adhibentur ea, quae alvum leniter movent. Emplastra cantharidis non mediocriter prosunt: ideoque illis carere aeger non debet, donec morbus inclinatus sit.

Aqua, in qua decoctus est cortex peruvianus, utilis est in hoc morbo; cui adjici possunt pauca grana cujusvis jucundi pulveris aromatici, ubi aeger fuerit languidior. Ex decocti hujus et decocti hordei compositi, singulorum pari mensura, fit quoque gargarisma, quo saepe est gargarizandum; quod etiam in fauces infantium per fistulam infundi debet. Nec tamen hoc moleste repetendum est, ultra quam aegri libenter ferant; etenim auxilium inde sperandum non multo majus est, quam ex crebra sorbillatione hujus vel jucundioris cujuslibet succi, qui, dum per fauces transit, abluat illas abstergatque. Adulti quidem sordibus ablutis gargarismata reddunt: infantibus autem quicquid sic sorbeatur, sive infundatur, in stomachum pariter descendit. Idem fit, ubi aliquid in nares infusum est; quod igitur vix tuto facere licebit, ne scilicet sordes ablutae plus noceant in ventriculum demissae, quam si in naribus restitissent.

Omnis alia faucium curatio praeter gargarismata, ut mihi videtur, est repudianda, utpote taedii multum, auxilii parum aut nihil allatura. Multi tamen docti expertique medici aliter de hac re sentiunt, et multum ad aegri salutem conferre putant ea remedia, quae faucium propria sunt. Quapropter non cessant incidere satis altis plagis crustas illas circa tonsillas

et uvam, ubicunque ferrum admovere licet; quo facto, palatum ungunt medicamento, quod habet mellis rosae unciam, oxymellis aeruginis drachmam; atque hoc etiam fauces saepe quotidie illinunt. Postremo, etiam vi quadam non dubitant carnem fungosam sordidamque a partibus ulceratis avellere; quae tamen usque renascetur, donec febris constiterit. Dolendum interea est iis, qui hanc viam insistunt, vix locum esse hujusmodi medicinae in aetate puerili, ubi morbus hic praecipue acutus esse consuevit; nec in quolibet aetate, modo crustae illae nares tracheamve occupent, quibus maxime opus est remedio.

CAP. VIII.

De aphthis.

Aphthae praecipue nascuntur in pueris, et senioribus, et iis, qui febribus longis fuerint debilitati. Accedunt dolor faucium, difficultas devorandi, raucitas, tussis, singultus et cupiditas exspuendi pituitam, ut aegris videtur quam aphthae mentiuntur. Adversus hunc morbum cortex peruvianus tuto adhibetur, et fortasse utiliter.

Ulcuscula aphtharum vulgo existimantur non solum os et fauces occupare, verum etiam in stomachum descendere et totum intestinorum canalem obsidere. Hoc non semper ita fieri constitit incisis cadaveribus duorum lentis febribus peremtorum, quorum ora diu contecta fuerant aphthis, licet nullum earum vestigium infra fauces deprehendi posset.

Praeter aphthas illas, quae in morbis acutis oriuntur, ubi corporis habitus est infirmior, dantur etiam aliae, longas vocaveris, quae os interdum male habent multos non solum menses, sed etiam annos, sine febre aut alio graviore malo. Hujusmodi aphthae consecutae sunt paralysin faciei, et triennium manserunt. Indiae occidentalis incolae interdum secum reportant hoc vitium in Angliam, e quibus didici illud in istis insulis aliquando fieri frequentissimum, et non raro desinere in alvum fusam, aut dysenteriam mortiferam.

CAP. IX.

De arthritide.

Arthritis incipit a dolore primi articuli pollicis pedis, qui brevi saturrime rubet et paulo post tumet. Vehementia primi doloris raro perseverat ultra quatuor et viginti horas: at cruciatu nondum penitus finito, dolor similis vel eandem, vel aliam partem pedis occupat, totidem circiter horas duraturus. Hujusmodi accessiones redeunt vel quotidie, vel post duos, tres, quatuorve dies, modo per mensem unum aut alterum, modo vix dimidium mensem. Quin etiam interdum post longiores inducias, cum tumores in artubus fere subsederint, et vires multum restitutae fuerint, dolores reversi sunt, et pristinas sedes occupaverunt, claudicatione et tumore iterum infesti, deluso interea aegro, qui speraverat morbum fuisse finitum. Fit etiam interdum, ut dolor initio levis, per aliquot dies quotidiana capiat incrementa.

Arthritidis prima accessio raro perseverat plus octo vel decem diebus, et toto hoc tempore vix vagatur extra locum, quem principio tenuerat. Idem quoque plerumque obtinet in secunda et tertia accessione. Postea vero ubique et pedes, et manus, et genua pererrabit, priusquam hominem valere jubeat. Postremo nullus erit corporis locus a vi morbi securus.

Noctu post primum somnum dolor maxime saevit. Numquid igitur arthritidi commune est cum iis malis, quae nervorum propria existimantur; quae fere omnia hoc ipso tempore exasperantur? Verum hoc non est perpetuum; nam in aliquibus dolor interdiu, quam noctu, major est.

Principio arthriticus non raro duorum aut plurium annorum intermissionibus fruitur. Postquam malum inveteravit, semel quotannis, vel saepius revertetur. Quo vetustior est arthritis, eo minus doloris secum ferre consuevit; trahit tamen longius, et artus quoque magis diutiusque debilitat. Ubi semel accesserit, pergit plerumque aegrum revisere per reliquam vitam. Nondum mihi contigit videre quemquam, quem sine dubitatione pronunciare possim podagram expertum esse ante pubertatem.

Quamquam vera podagra fere semper prima sua accessione pollicem pedis occupet, fit tamen aliquando, ut oriatur in calce, vel in superiore parte pedis, vel in malleolo; quodsi prima sedes in quovis alio loco fuerit praeterquam in pede, duratio doloris et reditus ejus, et quae consequuntur, adeo diversa erunt ab iis, quae arthritidis propria sunt, ut hujusmodi affectus, si dici nequeat rheumatismus, alio novo nomine notari debeat, quo ab arthritide pariter ac rheumatismo distinguatur. Hi quidem dolores non solum, tamquam rheumatismus, primo suo adventu universum corpus pervagati sunt, et duos tresve menses permanserunt; sed, quod vix unquam cernitur in rheumatismo, redierunt bis vel ter eodem primo anno, et deinde toties per aliquot annos. Et quamquam multo mitiores sint, quam quos infert arthritis, tumor tamen major est, et, quod in hoc morbo praecipue notatu dignum est, artus inde magis debilitati fuerunt intra biennium, quam aliorum, qui cum justa atque gravi podagra viginti annos conflictati sunt. Haud inepte dixeris hunc affectum naturam obtinere inter rheumatismum et paralysin mediam. Mihi visi sunt sexagenarii saepius eo laborare quam juniores; licet non defuerint exempla aegrorum, quorum artus ante annum trigesimum hoc vitio facti sunt paene inutiles[1].

Podagra cum ortum suum a parentibus arthriticis, et ab intemperantia saepe ducit, tum quoque ab aliis causis incognitis, a quibus non tuti sunt sobrii et temperati, a sanis majoribus oriundi. Feminae multo minus opportunae sunt huic morbo, quam viri; neque tamen rarum est, ut feminae quoque podagra tententur. Memini arthriticorum parentum liberos omnes hoc domesticum malum vitasse, praeter unam e filiabus. Aliam cognovi doloribus arthriticis nec non ulceribus cretam fundentibus miserrime vexatam, quamvis ipsa ab omni intemperantia longe abhorreret, et nemo propinquorum ex artubus laborasset.

Quem morbus articularis creberrime revisit, eum, praeter alia mala, tumores exigui, duri, non raro fatigant, maxime in digitis manuum et pedum, qui,

[1] Vide caput 79. de rheumatismo.

ut videtur, calculis pleni sunt. Tandem tumoribus inflammatis et exulceratis, exit humor albus, in quo coierant quaedam tamquam creta, et diu trahit. Haec ulcera et crebrae inflammationes ad extremum faciunt artus rigere, aut omnem eorum motum tollunt.

Distentiones leves musculorum in arthriticorum malis saepe numerandae sunt. Inflatio, ardor et acor stomachi, cruditas, fastidium, nausea, vomitus, dolores ventriculi et intestinorum, vertigo, sonus intus in auribus, torpores, jactatio, dolores vagi, macies, languor virium et animorum sunt ea mala, ex quibus modo haec, modo illa instante podagra accedunt, vel sequuntur decedentem. Omnia fere in vetusta arthritide nascuntur, quorum miser arthriticus posteros suos heredes fore luget.

Podagra quamquam initio rarius aegrum revisat, tempore tamen fit familiarior, et accessiones ejus cum crebriores tum longiores esse consueverunt, donec vix ullum spatium datur vel ad oblectandam vitam, vel ad reliqua ejus munera et negotia obeunda. Quamdiu aeger in dolore est, aliorum auxilio, tamquam infans, eget: sed multa obstant, quo minus hoc auxilium tam facile, tamque alacriter ministretur. Inter podagrae mala vix debet recenseri, quod omnibus vitae solatiis corruptis, viribusque vel sensim perditis, vel incidente paralysi aut apoplexia subito deletis, immaturam mortem inferat.

Paucos tamen vel pudet, vel piget tam tetrae valetudinis; quin multi ambiunt hunc morbum, et si forte aegrotaverint, arthritidem subesse libenter existimant, et se consolentur quod aliquando fiant arthritici: quem etiam in finem multa ultro moliuntur: tamen bene evenit ut plerumque excidant votis.

Haud facile dictu est, unde evenerit, ut nonnulli morbi in quibusdam regionibus et seculis existimati fuerint honesti et expetendi; dum alii turpes et probrosi sunt; licet neque in ipsis morbis insit justa aliqua honoris aut infamiae causa, neque in modo, quo contracti sunt. Epilepsia summum terrorem veteribus Romanis videtur incussisse: herniae quoque adhuc dedecori sunt. Suus quibusdam affectibus honos accessit, eo quod viro cuidam magno contigerint; vel quia praecipue invadunt beatos illos, qui otio et omnibus bonis affluunt. Ludovicus XIV, Galliae rex,

cum forte fistula ani laboraret, non pauci ex subditis ejus sibi persuaserunt se eodem vitio fuisse correptos, et non leve negotium facesserunt chirurgis, qui tum vivebant, ficto suo morbo petentes auxilium. Quodsi in Gallia fuisset aqua medicata, quae fistulam potuisset inferre, illuc puto haud minus cupide properatum esset, quam Bathoniam nostri petunt, ut reportent podagram. Hic enim est ille morbus, qui nunc apud Britannos in honore est; quem exoptant ii, quibus est incognitus; de quo etiam gloriantur, qui se jamjam ab eo occupatum iri autumant: quem autem serio deplorant, quotquot cum hoc acerbo malo revera conflictantur. Hinc fato singulari evenit, ut hodie plus operae detur ad gignendam, vel excitandam arthritidem, quam ad sanandam et penitus fugandam. Quippe tantum honoris huic morbo tributum est, ut omnia alia mala, quae arthritici experiuntur, praeter dolorem, ideo oriri existimentur, non quia nimium podagrae passi fuerint, sed quia nondum satis. Et profecto arthritis non modo non culpatur ut horum causa malorum, sed exoptatur tamquam in cujus repetitis accessionibus unica spes sanitatis reponitur.

Propter cupiditatem vitae, vel mortis timorem, plerique homines valetudinis suae conquassatae et perditae signa sentire pariter ac fateri nolunt; quae itaque cuivis causae tribuuntur potius quam appropinquanti et inevitabili morti. Hinc, ubi vires coeperint deficere, homines facile se sinunt persuaderi aegrotationem suam latenti podagrae deberi, et nihil deesse ad corporis animique robur restituendum, nisi justam podagrae accessionem. Verum, ut nihil dicam de levibus rationibus, quibus plerumque innititur spes latentis arthritidis, quaerere velim an certo constet, quod fidenter dicitur, morbum articularem, ubi saevit, omnes alios morbos expellere? et ubique licere vel gignere, vel excitare podagram, sine ullo periculo cumulandi priora recentibus malis? Sunt quaedam regiones, ubi psora est morbus frequentissimus; atque ibi quoque salutaris esse existimatur. Febris etiam intermittens olim a quamplurimis medicis credebatur esse ministra salutis; et idem etiamnum nonnullis persuasum est. Itaque ejus adventum sibi et amicis gratulantur, et, quantum in ipsis est, cavent

ne nimis cito se proripiat. Has quidem opiniones in Anglia jam fere delevit dies; et ubi remedium podagrae haud minus praesens inventum sit, quam quae ad modo memoratos morbos adhibentur, cognoscemus tandem, quam tuto et utiliter morbus quoque articularis in perpetuum submoveri possit.

Si quis tamen contendat arthritidem esse conatum corporis, quo humores nescio quos corruptos expellat; ad experientiam provocandum est, quae sola erit idonea hujusce litis judex et arbitra. Et fateor nonnullos reperiri, qui primo podagrae adventu gaudent, tamquam qui omnia fausta secum ferat; qui nihil jam nisi valetudinem integerrimam somniantes, facile credunt hanc primam accessionem mire profuisse; qui mos est hominum, quoties novos medicos et novas medendi rationes experiuntur. Sed, his missis, illos consulamus, qui diu et saepe ex artubus laborarunt et intime norunt hunc affectum. Inter plurimos, quos vidi quorumque historias literis mandavi, ut minimum dicam, duplo plures sunt, in quibus podagra aliis morbis supervenit sine minima eorum levatione, vel in quibus nova mala attulit prioribus, quam quibus profuisse visa est: et, meo quidem judicio, quae mala podagrae imputata fuerunt, multo certius ab ea profluxerunt, quam quae bona. Interdum quidem fieri videmus, ut alii morbi conquiescant podagra superveniente; quod etiam fit accedentibus febribus, paralysi, asthmate, variolis, et insania, quorum omnium non pauca exempla vidi, licet hos morbos dixerit nemo salutares. Contra morbus articularis saepe invasit vertiginosos, asthmaticos, fastidientes, et melancholicos, quos adeo non levavit, ut mala eorum multum exasperaverit. Porro haec omnia in nonnullis aegris simul cum podagra semper accesserunt, et per totum ejus spatium perseveraverunt.

Quos arthritis raro occupat, et deinde brevi relinquit, illi leviter, aut vix omnino laeduntur; haud secus ac fit interdum, ut epilepsia, quae raro accedit, haud impediat quo minus epilepticus senectute tandem, potius quam morbo suo, pereat. Verumtamen in nonnullis valetudo a prima usque podagrae accessione perturbari coepit, et ex illo in pejus ruere, donec prorsus conquassata sit et plane perdita. In

quibus, licet dubitare possimus, podagra necne fuerit horum malorum causa, de illo tamen certi sumus, quod non fuerit remedium.

In vetusta arthritide, quod ante memoravi, dolor mitior esse consuevit, quam in recenti; et hinc forsitan creverit opinio, illam valetudinem ab imminuta ac deficiente podagra oriri, quae vel aetati ingravescenti, vel aliis morbis, vel repetitis ipsius podagrae accessionibus tantummodo debetur.

Memini quendam per quindecim annos arthritide quotannis laborasse, et eodem tempore difficultate spirandi semper fuisse tentatum: tandem vero corporis constitutione admodum infirmata et fractis omnino viribus, per quinquennium, tamdiu enim languit priusquam moreretur, nec asthma, nec arthritidem expertum esse. Quodsi nemo sibi persuasisset, hanc perditam valetudinem ideo supervenisse, quia asthma cessasset venire; cur magis credibile est, eam ad podagram subsistentem referri oportere? Vehementia doloris articularis non modo non prodest sanitati, verum aliqua ex parte videtur efficere, ut in his, citius quam in illis, artuum motus pereat et alia consequantur incommoda, quae hujus affectus propria sunt; unde evenit ut nonnulli post septem annos facti sint infirmiores, quam alii post annos triginta.

Vera podagra post paucas accessiones adeo plerumque infigitur, ut deinde in singulos annos, vel saepius, aegrum revisat. Interdum tamen, postquam quotannis reversa fuerat diutius, scilicet per decem, duodecim, quatuordecim, viginti, aut etiam octo et viginti annos, tandem inducias dedit; atque hae induciae servatae sunt annos tres, vel decem, vel duodecim, vel etiam triginta, sine minima salutis injuria, quae podagrae conquiescenti jure objici posset. Hujusmodi exempla declarant, ubi semel, aut saepius, aliquis ex artubus laboraverit, tamen repetitas ejusdem morbi accessiones non esse ad sanitatem necessarias; quandoquidem arthriticus tuto illis caruisse compertus est, etiam ubi morbus adeo penitus inséderat et inveteraverat, ut e vulgi opinione valetudo et vita sine ejus auxilio recte procedere non possent.

Tamen, ut maxime utile fuerit latentem podagram excitare, vel crudam et imperfectam, ut ajunt, ma-

turare; medici tamen omnes fateantur necesse est, signa hujusmodi podagrae esse admodum obscura et vix ulla dari, quibus eam vel nosse, vel jure suspicari possimus, nisi accesserint dolor et rubor, et tumor pedis, vel aeger ipse, vel parentes ejus antea tentati fuerint hoc affectu. Attamen, quamvis horum nihil est, haud raro contigit, ut principia multorum morborum longorum et nonnullorum acutorum ad podagram relata sint. Error autem in hac re, ubi tam pronum est errare, multa secum mala trahit; quorum non minimum est, quod multos induxerit longe nimium bibere vini et potionum meraciorum, sicut vidi aegros, qui biduum triduumve fere ebrii jacuissent, propterea quod, ut ipsis videbatur, opus esset podagra, quam hoc potissimum modo excitare sperabant. Sed licet concesserim ex vita intemperanter acta hunc tristem morbum facile gigni posse; tamen quisquis per dies duos vel tres nimio se cibo potuque ingurgitet, ille certe franget opprimetque corporis vires, in procinctu stet podagra, necne; et pauci infitias ibunt perniciosam esse hujusmodi intemperantiam, modo alius subsit morbus, quem aeger falso suspicatur esse articularem. Saepius multo quam vellem vidi non solum ossa cariosa, scirrhos et carcinomata cerebri, pulmonum, et viscerum abdominis, aliosque morbos longos, verum acutos etiam, inflammationes scilicet pulmonum, stomachi et aliorum viscerum, qui appellati sunt arthritici, cui consequens fuit, ut aromata vinumque ceteraque ejus generis adhiberentur, donec nullus vel remedio, vel allevamento locus relictus esset. Quam quoque curationem etiam ad veram arthritidem tantum auxilii praestitisse non puto, quantum detrimenti, dolores febremque augendo, ubi hic morbus fuerit falso suspectus.

Multum quidem abest ut podagra sit morbus insolitus; neque tamen ubique obviam fit, quod nonnullis videtur persuasum. Usu doctus rarissimum esse crediderim, ut sub initio, relictis artubus, cerebrum, pulmones, aut ventriculum occupet; quamquam in vetusta arthritide hoc interdum contigerit, at opinione rarius. Ubicunque autem dubii simus, affectus arthriticusne sit, an ex inflammatione, quique poscat refrigerari; ibi praestabit cunctari, donec de natura mali constiterit: quodsi periculum praeceps

fuerit, et omnis motus impatiens, longe perniciosius erit venam non incidere in morbo ex inflammatione, quam in arthritide sanguinem detrahere. Licet enim id improbetur a SYDENHAMO, et quidem plerisque forsan inutile, non tamen est semper et ubique periculosum. Novi podagricum, cui in more positum erat singulis morbi accessionibus venam incidere; quod sex et triginta annos facere consueverat. Alius quoque saeviente dolore arthritico ad sanguinis missionem semper confugit; unde dolor illico delinitus est, et somnus placidus recreansque inductus. Neque, quantum intellexi, aut hunc aut illum poenituit tam abnormis curationis. Pauci autem negabunt, ubi pulmones vehementer laborant, venae incisionem sine summo periculo omitti non posse, quamquam certissime constet malum ad arthritidem pertinere. In morbis longis, qualiscunque detur podagrae suspicio, conveniet neque aquas Bathonienses imperare, neque alia quaevis remedia, quae arthritidem arcessere existimantur, modo eadem periculosa essent, si ab aliis causis aegrotatio proveniret; optime vero aegro consuletur, si nihil aliud moliamur, quam omnia sic ordinare ut naturaliter esse debent, aut, ubi grave aliquid inciderit, id levare.

Haud mihi in animo est expendere facultates aquarum Bathoniensium et medicamentorum calefacientium, qualia ex aromatibus et vino petuntur, ad excitandam podagram, sicubi hoc esset expetendum. Post brevem usum fama, nisi fallor, minores deprehenduntur. Leves illi vagique dolores, qui sumptis remediis antarthriticis sentiuntur et vocantur podagrae rudimenta, nunquam fortasse non sentirentur in aetate inclinata, si quis attente animum ad eos advertat.

Unum longissimum et maximam animi intentionem in indagandis morborum naturis et remediis eorum per se frustra esse, nisi fors etiam aliqua accesserit, cum ex aliis morbis intelligimus, tum maxime ex arthritide. Quamquam enim hic morbus prior exstiterit quam antiquissimorum medicorum scripta, et nulli genti nec saeculo pepercerit; quamquam etiam, ut SYDENHAMO videtur, praecipue occupet viros mentis acumine et ingenii viribus praestantes, qui, si vellent, sic etiam possent quales-

quinque [illegible] vel consilio vel forte profectus arripere; nulla tamen adhuc obscurior quaestio est, quam quae versatur de hujus morbi causis effectibusque et remediis. Verumtamen, cum omnibus jam persuasum sit, arthritidem sine summo periculo fugari non posse, aequum est ut hic morbus medicis haud amplius objiciatur tanquam artis suae opprobrium, [illegible] aegri metus suos, nescio quos, deponant et velint sanari. Utinam tam in promtu esset invenire, quam tutum adhibere podagrae remedium!

In arthritide non solum artus, verum etiam cerebrum, ventriculus et intestina saepe laborant. Ventriculi videntur impedire quo minus cerebrum [illegible]. Ventriculo praesidio sunt vinum et quae [illegible] vim leniter movent. Atque horum [illegible] remediorum usus mihi confirmavit.

Vinum meracum multumque arthriticis valde convenire existimatum est. Quam opinionem crediderim percrebruisse, non tam quia persuasum sit id ita esse, quam quia verum esse optaverint qui vinum amant. Verum soli velim meminerint aquam vini largiorem seorsim laedere ventriculum, et concoctionem impedire; tum quoque eos potissimum gignere atque alere morbum articularem, qui vino [illegible], quibus aqua est fere unicus potus; cupiditas cibi major est, et concoctio digestioque facilior, et [illegible] fere [illegible]. Mihi sane contigit paucissimas videre absolutas et perfectas hujus morbi sanationes; unus autem et alter, qui carnium cibo vinoque ex toto abstinuerant, restituti fuerant e summa debilitate et miseria in valetudinem satis firmam, ut vita non amplius esset vel aliis inutilis, vel sibi ipsis injucunda. Attamen [illegible] haec exempla, quam ut confidam, vel etiam [illegible] sperem fore, ut mihi liceat esse aeque feliciorum.

Ambigitur in [illegible] podagrae quam victus rationem [illegible] dare aeger debeat, cibo et vestibus mollioribus [illegible], an summis viribus contendere artus affectos movere, hostemque, si qui fieri possit, excutere. Quo magis indulgetur, eo diutius podagra manet; quod aegris saepe videtur in votis esse, quod etiam medicamentis cupiunt efficere. Nempe in ea sunt opinione, materiam arthriticam in quibusdam corporibus gigni et indies conservari; quae nisi de-

illo tempore facilis et liber exitus sit, valetudo omnigenis malis erit opportuna. Alii contra, ducti non tam ratione, quam impatientia doloris, nihil non moliti sunt, ut arthritidem incipientem reprimerent, et in ipsis quasi incunabilis extinguerent. Magnus ille HARVEYUS, circumeuntis sanguinis repertor, ut a propinquis ejus accepi, protinus ut podagram advenientem sentiebat, crus affectum in frigidam immittere solitus est, et eo pacto dolorem avertere. Alios itidem novi, qui podagram incipientem tepore et otio fovere valde recusarunt, sed potius maxima contentione animi et virium artum affectum movere et exercitare non cessarunt, donec sensim recederet dolor et potestas movendi reverteretur; id quod tandem consecuti sunt. Neque, quantum scio, haec morbi propulsatio, vi et armis facta, ullis postea gravioribus malis pensata est. Quantum autem fieri potest ad excutiendam podagram, si quis omnes nervos in eo contendat, declarant historiae arthriticorum non dubiae, qui membris omnibus capti, cum movere se prorsus non posse viderentur, metu subito incendii aut hostium perculsi, illico obliti sunt podagrae, et satis agiliter se in fugam conjecerunt.

Nollem laudare HARVEYI exemplum, et aliis ad imitandum proponere, quamvis ad octogesimum annum vixerit, et non tam morbo, quam senectute extinctus sit. Tamen non comperi illos aegrotos male sibi consuluisse, qui artum exercitando impedierunt quo minus arthritis sibi sedem suam figeret. Siquidem accessio podagrae revera sit corporis quaedam exoneratio, per quam materia morborum jam summe accumulata foras projiciatur, qui fit, ut medicamentum purgans, mox a decessione ejus sumtum, toties fecerit morbum recrudescere, et pari vehementia ac ante saevire? Quod ut ita sit, usu cognitum est non mihi solum, sed et aliis medicis, quorum auctoritas et est et esse debet summa. Idem quoque interdum evenit, ubi membrum ab arthritide jam convalescens, ictu aliquo, aut distorsione, aut etiam culicis punctione, laesum fuerit. Quae res certe faciunt, ut aegre intelligi possit doctrina de arthriticae materiae cumulo, cui hujus morbi accessiones tribuantur.

Plerique ex illis, qui fovent podagram caventque ne quid dolor maturus submoveat, saepe vexantur ar-

tus ingenti pannorum lanearum apparatu, etiam sub coeli temperie calidissima, donec qui antea fuerunt debiles, jam fiunt prorsus immobiles. Haec multiplicia involucra semper sunt molesta et, ut mihi quidem videtur, supervacua. Fateor partem quamlibet corporis, ubi dolet tumetque, sensu acutiore esse praeditam et frigoris minus patientem; verum nulla ideo integumenta requiruntur, praeterquam quae sufficiant arcendo frigori, si quid offensum sit.

Late celebrantur facultates aquarum Bathonicarum ad mala arthritica moderanda. Quae tamen vulgo perhibentur, satis inconstanter dici videntur, et vires contra podagram his aquis tribui efficaciores, quam aut usus, aut ratio confirmat. Fontes Bathonicae sine dubio prosunt adversus multa ventriculi mala, et proinde utiles esse possunt arthriticis, quoties vexantur, ut saepe fit, dolore stomachi, acore, aut cruditate. De aliis horum fontium viribus ad excitandam et moderandam et sanandam podagram perdifficilis est et perobscura quaestio. Nondum compertum habeo has aquas extrinsecus admotas, vel saeviente morbo vel conquiescente, fuisse auxilio. Quin artuum debilitatem balneo Bathonico auctam esse vidi; et multo praesentius fuisse remedium in mare descendere, quod multa me exempla docuerunt.

Ubi morbus ex articulis in ventriculum trajectus fuisse judicatur, ibi consuetum est aegrotis, si non ipsis medicis, dolorem nauseamque et vomitum levandi spem omnem in vino ponere et potionibus meracioribus. Sed in hoc ancipiti malo, opium et aromata, meo judicio, non solum minus detrimenti secum trahunt, verum etiam sunt auxilia multo potentiora. Opium etiam tuto datur omnibus arthriticis, quoties vigilia aut dolor urgeat.

Pulvis Portlandicus [1] unum est e multis, quae vocantur, remediis specificis, quorum ortum et splendorem et occasum vidi. Fama ejus nimis rapide crevit et in altius evecta est, quam ut locum suum tueri posset. At nunc, censeo, aura popularis depressit eum haud minus immerito, quam antea extu-

[1] Pulvis Portlandicus habet radicis aristolochiae rotundae, radicis gentianae, summitatum et foliorum chamaedryos, chamaepityos, centaurii minoris, singulorum par pondus.

ferat. Antequam cortex peruvianus inventus est, homines, longo usu docti, satis medicamentis coeperant confidere, quorum vires ad sanandas febres intermittentes proxime ad illum corticem accedunt, aut in quibusdam etiam superant. Atque in aliis quoque morbis incerta quaedam fama de vera medendi ratione antecessit, quae non nisi longo post tempore ab omnibus demum recepta est et firme stabilita. Neque exigua est commendatio alicujus medicamenti, aut parvam ejus exspectationem movere debet, quod de eo bene sperasse variae gentes, et plurima secula consenserint. Ad hanc fere modum pulvis Portlandicus ad famam pervenit. Nam medicamenta simplicia, quae habet is pulvis, antarthriticorum remediorum nomen adepta sunt a variis scriptoribus tam veteribus quam hodiernis [1]. Cum vero arthritis maxime noceat stomacho, ut nec appetat aeger, neque concoquat cibos sicut assuevit, veri non dissimile est, morbum hoc adeo coërceri ac reprimi posse ab iis rebus, quae vim addant ventriculo, ut si ipsa salus non sit reditura, saltem multum allevamenti inde jam sperari possit.

Pulvis Portlandicus infamis factus est magna ex parte ob grandem ejus molem, quam cum pauci devorare possent, tamen fautores ejus omnibus devorandam imperabant; tum quia non morbo, sed remedio ejus imputata sunt omnia illa mala, quae propria sunt arthritidis, et praecipue paralyses et apoplexiae; quae quidem mihi non dubium est quin ad arthritidem revera pertineant, quoniam in non paucis secutae sunt longas et vehementes podagrae accessiones. Hae certae sunt hujus pulveris potestates, ut operae pretium fuerit, quae in illo prava sunt, corrigere et emendare. Etenim dum fama ejus vigerat, in tot aegris, qui eo usi sunt, podagra vel mitior facta est, vel rarius repetiit, ut vix possit dubitari hos effectus isti medicamento esse tribuendos. Quod autem ulla mala ex illo orta sint, praeter fastidium, quod modus nimius attulit, mihi quidem nec certum unquam visum est, nec verisimile. Pulvis autem ille tandem neglectum et infamiam subiit, non tam quia

[1] Vide Medical Observations and Inquiries by a Society of London Physicians. Vol. I. art. 14.

nihil fecit, quam quia nimium... Homines enim magis metuunt a sanando morbo articulari, quam ab eo tolerando; et lubenter se tradunt huic tyranno excruciandos, ne forte saevior in ejus locum sufficiatur.

Quod si constiterit pulverem Portlandicum vim habere aliquam mitigandi aut differendi podagrae accessiones, propterea quod stomacho et concoctioni amicus est, illi compositioni utiliter subtrahi possint simplex unum et alterum, quae credibile est huic fini haud multum inservire. Tum vero idem omnibus modis nequaquam est adhibendus; at diligenter videndum ne ventriculus offendatur. Scilicet absurdum est velle vim addere stomacho per medicamentum, quod vel mole sua nimia, vel sapore injucundo nauseam et fastidium movere non desinit; id quod saepe evenit ex imperito pulveris Portlandici usu.

9. Inter medicamenta simplicia, quae languenti ventriculo opitulantur, sunt chamaedrys, chamaepitys, absinthium, carduus benedictus, trifolium paludosum, marrubium album, centaurium minus, flores chamaemeli, cortex aurantiorum hispalensium, cortex peruanus, et radices colombae, gentianaeque. Quae omnia in pulverem trita fortasse valentiora erunt, quam aqua, in qua decocta sint. Pauci vero inveniuntur adeo fastidiosi, ut eorum aliqua, in tanta medicamentorum varietate, non fuerint tolerabilia et stomacho satis jucunda. Quod tamen non nisi experiendo dignoscere poterimus. At ne forte unum aliquod privatim sit nauseosum, optabilius erit pulverem e tribus aut pluribus componere; quo pacto fiet ut nihil juvetur ventriculus, et licet ex illis aliquid minus arrideat, tamen tantula erit ejus mensura, ut aegroto nullum praestet detrimentum.

10. Necessarium erit, ut arthriticus pergat sumere hujusmodi medicamentum multos menses, aut etiam aliquot annos. Atque hac etiam de causa diligenter providendum est, ut et modus ejus et sapor omni offensa careant. Interea aegrotum monere oportet, ut tantum sumat, quantum ferre sine nausea potest. Minimus modus, bis quotidie sumendus, erit quindecim granorum; pauci plus quam scrupulos duos devorare valent. Pulveri huic amaro aromatis cujusvis [illegible] utiliter adjiciuntur; unde medicamentum fiet non modo minus nauseosum,

sed et valentius. Praeterea aromate identidem mutato novus conciliabitur sapor; fastidiumque praecavebitur, et aeger diutius perseverare poterit.

Priusquam huic capiti finem imponam, haud supervacuum erit dicere, quibus praecipue notis arthritis a rheumatismo discernitur.

Prima accessio arthritidis raro fit longior viginti diebus: tum morbus primo articulo pollicis pedis insidet, vel saltem ultra pedem non transit. Non est perpetuum ut febris, vel languor, vel quaevis aegrotatio antecedat; quamquam hoc interdum fiat.

Locus podagra occupatus saturate rubet et adeo impense dolet, ut levissimo pondere premi non sustineat.

Arthritis raro quemquam corripit, quem non intra paucos annos revisit: mox reditus fiunt crebriores et accessiones longiores; tum quoque priores terminos excedit, et nullam non corporis partem invadit; et quam invaserit debilitat, aut ulceribus foedat, vel repetitis inflammationibus reddit duram et immobilem.

Dolores arthritici, relictis artubus, interdum in ventriculum, pulmones, cor, aut cerebrum vertuntur.

Hi dolores vel nunquam, vel rarissime vexant quemquam ante pubertatem.

Postremo, qui ex artubus multum laborarunt, posteris suis miseram hanc hereditatem plerumque transmittunt.

Haec mihi videntur signa esse, quae veram arthritidem indicant; quorum ne unum proprium est acuti rheumatismi. Nam neque is pedes potius quam alias partes invadit; neque diu in eodem loco manet; verum prima sua accessione universum corpus saepe pererrat et interdum menses aliquot perseverat.

Locus rheumatismo occupatus haud multum dolet, nisi moveatur. Dum quiescit, non tam anxie et torquetur, quam lassitudinis sensu molesto vexatur.

Cutis color si forte mutetur, leviter modo erubescit, non vehementer coloratur.

Saepissime fit, ut quos rheumatismus gravissime cruciavit, quamquam diu postea vivant, in eum nunquam iterum incidant. Ubi autem revertitur, reditus sunt inordinati, nullis certis temporibus adstricti.

Rheumatismi acuti dolores rarissime relinquunt musculos et in viscera transeunt.

Denique hic morbus nequaquam parcit impuberibus, qui eo interdum graviter laborant; nescio an illi praesertim, qui hereditario jure futuri sunt arthritici.

Hae profecto, meo judicio, praecipuae notae sunt, quibus hi duo morbi discernuntur: sint licet aegroti, in quibus signa arthritidis et rheumatismi adeo commiscentur et confunduntur, ut haud dictu proclive sit, ad utrum dolores sint referendi.

Hos morbos, cognatos sane, quamquam facies non utrique una, vel multum, vel parum nostra intererit accurate definire, prout ratio eos curandi similis, vel diversa esse censebitur. Plerique auctores olim consenserunt remedia arthritidis esse prorsus contraria iis, quae prosunt adversus rheumatismum. Etenim contendunt calidissima quaeque illi convenire; ab hoc omnigena refrigerantia postulari. SYDENHAMUS sanguinem mittere prohibet in arthritide; quem idem in rheumatismo quater, aut saepius, copiose detrahendum praecepit. Attamen in iis, quae postea scripsit [1], videtur aliquid remittere voluisse de tantis sanguinis missionibus, quae in uno aegroto non bene cessisse compererat.

Usus centum annorum (tot enim sunt a SYDENHAMI aetate ad hanc nostram) fecit tandem medicos minus confidere purgantibus vehementioribus, et repetitis sanguinis missionibus contra rheumatismum. Et veniet forsitan dies, cum remedia refrigerantia judicabuntur non tam perniciosa esse in arthritide, neque in rheumatismo tam utilia, quam vulgo feruntur; et proinde morbi utriusque curationes ad se invicem propius accedant. Pulvis Portlandicus prae se fert aeque adversus utrumque prodesse; neque negaverim hujusmodi medicamenta, simul cum opio adhibito sic ut opus fuerit, fieri posse praesentissima antarthritica pariter et antirheumatica remedia.

CAP. X.

De ascaridibus.

Ex quibusdam signis conjecturam aliquam facere, nunquam autem certi esse possumus de lumbricis

[1] Sub finem Epist. respons. primae.

ventrem occupantibus, nisi in stercoribus fuerint conspecti. Oportet vero cavere, ne decipiamur specie muci tenacis, quem nonnulli putant esse ipsos vermes, vel saltem eorum vaginam quandam et involucrum, etsi nunquam constiterit eos hujusmodi vagina donari. Lumbrici teretes defecti fuerunt a nonnullis, qui non meminerunt se levissimum incommodum ex illis unquam percepisse. Alii contra diu questi sunt multa mala, quae propria lumbricorum existimantur, et tamen nullos excreverunt.

Ascaridibus fere semper accedit prurigo ani, quae vespere praecipue molesta est. Atque hoc est certissimum hujus pestis signum. Prurigo autem provocat fricationem, unde tubercula saepe oriuntur circa anum, multum diversa ab haemorrhoidibus, seu venis turgentibus. Nausea, tormina, defectiones animae, cruditas, vertigo, dolores capitis et ventriculi, cupiditas cibi vel naturali major vel nulla, prurigo narium, somnus perturbatus, dentium strider, tussis, et spiritus odor foedus, nonnunquam e lumbricis nascuntur. Cum tamen usu constat, nulla ex his signis necessaria et certa esse, dubium erit, etiamsi omnia in eodem aegro reperiantur, fors an morbi natura hunc concursum effecerit. Ascarides non solum cum stercore expelluntur, sed etiam sponte sua exeunt, idque per nares, uti ab aegrotis accepi. Interdum perseverarunt triginta annos sine magno valetudinis detrimento.

Purgantia lenia saepe repetita minuunt hujus morbi incommoda; quem tamen prorsus depellere nulla, quantum scio, medicamenta valent. Fumus tabaci, aut aqua, in qua liquatus est hydrargyrus muriatus, in alvum infusa, parum vel nihil profecerunt.

CAP. XI.

De asthmate.

Prima accessio asthmatis nulla non aetate contigit. Senectuti quidem praecipue infestum est; tamen adultos, adolescentes et infantes interdum occupat. Pleu-

ritides, peripneumoniae, et crebrae destillationes non raro desinunt in hunc morbum. Prava pectoris conformatio et tussis hieme quotannis recurrens et in singulos annos vehementior facta, difficultatem spirandi insanabilem pariunt. In quibusdam repente incidit hoc malum sine ulla manifesta causa. Interdum quoque inter accessiones graves et periculosas longa spatia sunt omni spirandi difficultate libera. Interdum septimo quoque die spiritus difficilis factus est; interdum semel in mense; vel quater in anno; vel vere et autumno quotannis; tum saepissime omni hieme; vel etiam altero quoque anno; et memini unum aegrotum, qui ex intervallis septem annorum sexies laboraverat hoc morbo. Plerumque tamen inordinate, et incertis prorsus temporibus revertitur. Paucos novi, qui postquam eo conflictati fuerant aliquot annos, dein per triginta annos nullum reditum experti sunt. Rarissimae quidem sunt hae longae intermissiones: nam plerumque quotannis redit, et singulis accessionibus vires acquirit. Quidam asthmaticus e longis atque incertis intervallis cum morbo suo unum tantummodo diem luctabatur, et singulis hujus diei horis jamjam strangulandus videbatur; qui tamen inter accessiones belle valebat. Interdum spiritus aegre trahitur in quibusdam locis, non autem in aliis, sint licet vicini et omnino consimiles. Alii superfuerunt quinquaginta annos; alios paucis mensibus morbus interfecit. Quibusdam contigit esse tam felicibus, ut vel corporis, vel medicinae beneficio asthma ex toto victum sit. Semel, postquam summum periculum intentaverat, valetudo adeo confirmata est, ut vir biennio post consuetis negotiis occupari facile sustinuerit. In alio idem morbus post quatuor annos substitit, et prorsus finitus est. Puer crebris et vehementibus accessionibus tantum non succubuit, et tamen ad senectutem pervenit, morbo interea multum mitigato et per quatuor annos fere conquiescente. Non est perpetuum, verum saepissime fit, ut tussis quoque accedat et aegri molestiam haud parum adaugeat. Arthritis et asthma coierunt in uno homine, quem in annos quindecim quotannis affligebant; perdita deinde valetudine, integro quinquennio, scilicet quoad vixit, nec asthma nec arthritis redierat. Asthmatici fere experiuntur morbi accessionem

mane, cum primum expergiscantur. Alvus adstricta nocet; fusa tamen longe magis est formidanda, quoniam inhibet usum remediorum maxime efficacium, quae fere omnia ventrem emolliunt; ad hoc, indicium est habitus corporis vitiati morboque succumbentis, tum praecipue si venae simul concitentur.

Accessiones modo exiguam horae partem, modo multas horas manent. Difficultas spirandi gravis plures etiam menses permansit, quae deinde sponte sua mitior facta est, et post quatuor annos paene finita. Quod cum aliis quoque contigisse possit, nos facit incertiores, quantum corporis ipsius viribus, quantum medicamentis sit tribuendum. Interdum asthma ordinate rediit, tamquam febris intermittens, et cortici peruviano cessit.

Motus hunc affectum augere consuevit, qui interdum prorsus conquiescit, nisi tum, cum aegroti moveantur, aut ex alto somno expergiscantur.

Cubantibus spiritus saepe laborat, et vix eluctatur per horam, aut plus eo, antequam pulmones officium suum rite facere queant. Quibusdam etiam surgere et lecto residere necessarium est, quo situ levatur malum, maxime si corpus paulum flectatur: neque tamen hoc adeo perpetuum est, ut non aliquando viderim asthmaticos, qui resupinato corpore tolerabilius se habuerint.

Spiritus nonnullis difficilius ducitur ruri, quam in urbibus frequentibus; multo plures impatientes sunt urbium, et facilius spirant ruri. Aër frigidior plerisque solatio esse consuevit; novi tamen asthmaticum unum et alterum, quos juvabat accedere ad ignem luculentum, quoties morbus urgeret. Quaevis mutatio coeli quibusdam auxilio est. Semel atque iterum asthma fuit tolerabilius in Anglia, quam in regione tepidiore; quod plerumque contra fieri videmus. Hiems quoque, quae plerisque inimica est, nonnullis tolerabilior fuit, quam aestas. Navigatio longa plurium mensium hunc morbum non solvit. Ventriculus cibo repletus saepius obfuit, interdum tamen juvit. Oborto pituitae cursu assiduo, aut tumore in artubus inferioribus repente facto, quidam ab instante morte erepti sunt. Destillationes copiosae, et in senioribus sputa cruenta, inflammatio cruris desinens in exulcerationem, paralysis superve-

niens, dolores ventriculi et artuum, cutis vitia, et accessio podagrae, spiritui difficili praesidio fuisse visa sunt. Verum, ut nihil est perpetuum in hoc morbo, podagra, quae in aliis vim morbi levavit, in aliis illum induxit, vel certe non impediit, quo minus asthma continuo exciperet podagram. Fonticuli interdum profuerunt; saepe fuerunt supervacui. Saepe vomitus spiritum laborantem expedivit. Purgantia vix tentanda sunt, utpote rarissime adjuvantia. Haud paucis epitulata est seminis sinapeos semuncia singulis auroris sumta. Argentum quoque vivum et cinnabaris famam aliquam adepta sunt; merito necne, non habeo dicere; at innunctio certe mercurialis non raro arcessivit hanc pestem. Potiones meraciores, quaeque fiunt ex baccis coffeae, fumus tabaci, allium, scillae radix, et gummi foetida, vehementiam morbi deliniunt; exiguus etiam sanguis interdum detrahitur, ubi majorem in modum furit et strangulationem intentat; ubique alias sanguinis missio nocet, cum vires inutiliter minuat properetque hydropem, in quem asthma consuevit desinere. Interdum opium est praesentissimum hujus morbi remedium, ubi omnia alia aegrotum frustrata sunt. Vidi asthmaticos animam fere agentes, qui usu docti sibi ipsis medebantur, sumtis, secundo exitu, duobus vel etiam tribus opii granis, qualem equidem modum dare non ausus essem. Asthma divisum est in convulsivum et pituitosum; et opium dicitur huic nocere, at illi convenire.

In phthisi, ubi pulmones exulcerati sunt, et maximam partem absumti, spiritus quidem fit creber, et in movendo aegre ducitur; sed phthisici easdem strangulationis minas, ac asthmatici, nequaquam experiuntur: licet pulmones eorum, qui asthmate perierunt, interdum nullo vitio occupati sunt. Porro si animadvertamus longa spatia, quibus morbus omnino conquiescit; tum naturam plerorumque ejus remediorum; quodque somno, moerore, ira, metu, gaudio, risuque arcessatur; verisimillimum videbitur, quamvis aliae fieri possint hujus mali causae, saepe tamen id oriri ex quadam perturbatione officiorum, quae nervorum propria existimantur.

Quaedam mulier implicita erat asthmate indies ingravescente octo menses; sedebat corpore paulum

inclinato; pulsus erat inordinatissimus; tumebant crura, sinistrum autem magis quam dextrum, et vulnusculo inflicto multum aquae effluebat. Ad haec, paulo ante mortem saliva mali odoris os implebat. Cadavere inciso, nulla aqua aut in abdomine aut in pectore reperta est; pulmones integri erant, neque cum pleura omnino connexi: tantummodo cordis auriculae et ventriculi pustulis quibusdam asperae erant, et valvulae inter auriculam et ventriculum sinistri lateris extenuatae, et induratae in tubercula informia. Quidam quoque asthmate vehementer laboraverat, cujus pulmo erat integerrimus, cor etiam sanum, neque erat ullum vitium diaphragmatis, nec in pectore aqua, aut pus aut aliquid alieni, praeter quasdam exostoses vertebrarum thoracis. Alio cadavere inciso, pulmones inflati manebant, atque extrinsecus contegebantur bullulis aëre plenis, aliquantulum eminentibus, et tenuissima membrana inclusis, quarum una aperta aliae non collabebantur: nullum aliud vitium in pectore deprehensum est.

CAP. XII.

De aurium morbis.

Frequens puerorum vitium est, interdum quoque adultorum, in quo humor mali odoris post aures exit, unde tument auriculae et loca vicina, et cuticula in furfures decedit. Quodsi humor acrior fuerit, cutis altius exulceratur. Auris etiam intus malo simili interdum afficitur, e quo aeger fit surdaster. Medicamenta exsiccantia extrinsecus imposita nocent, vertendo humorem in partes interiores. Nulla alia curatione opus est, nisi ut loca affecta saepe abluantur aqua tepida, et ut pannus unguento aliquo leni delibutus interponatur, ne partes exulceratae vel sibi invicem agglutinentur, vel haereant vestibus.

Interdum aures intra se ipsae sonare perseverarunt multos annos, adeo ut neque attentius cogitare liceret interdiu, neque noctu tranquille dormire; tamen sine surditate aut alio quovis malo. Interdum vero tinnitus aurium a graviori causa oritur, et secum trahit mentis perturbationem, surditatem, coeci-

tatem, defectionem animae, vertiginem, oblivionem, levem mentis alienationem, epilepsiam, paralysin, aut apoplexiam. Gummi foetida, opium, et emplastra quae erodunt sub ipsis auribus imposita, radix valerianae sylvestris, pulveres sternutamenta moventes, hunc affectum interdum levant, non semper vincunt.

Capite vel aure vehementius icto, his terve accidisse novi, ut aqua multa ex aure flueret, modo pallida, modo cruenta, praecipue si caput inclinaretur. Unus ex his aegris retulit mihi, haud minus quam libram hujus aquae, quantum conjectare posset, ex aure quotidie effluxisse.

Polypus non solum in naribus, sed interdum etiam in auribus nascitur.

Surditati, quae cerae aurium induratae debetur, medebitur aqua ex floribus chamaemeli in aurem infusa; quodsi surditas oriatur ex resolutione nervorum, per quos facultas audiendi est, emplastra cantharidis imponenda sunt post aures, et singulis noctibus instillandae sunt guttae quatuor misturae camphoratae, in cujus unciis duabus soluta est magnesiae vitriolatae semuncia. Sternutamentum quoque movendum est per granum unum foliorum asari exsiccatorum et in pulverem tritorum, naribus quotidie haustum. Fatendum tamen est, haec et cetera omnia auxilia, nimis saepe parum vel nihil juvare. Quodsi surditas non fuerit plerumque morbus insanabilis, propria ejus remedia numeranda sunt in iis, quae adhuc desiderantur in arte medica.

CAP. XIII.

De aqua Bathonica.

Nullus ex Hippocratis aphorismis justior est, quam in quo deplorat tantum temporis requiri ad stabiliendam veritatem in medicina, et tantum impendere erroris periculum, etiam cum videmur ipsam experientiam ducem sequi. Quod nusquam magis cernitur, quam in quaestione de viribus aquarum Bathonicarum. Etenim cum earum facultates medici sagacissimi in

tot aegris experti sunt; tamen alii affirmant, earum usum paralyticis certam salutem, alii certam necem afferre. Sententiae tam contrariae faciunt aegros pendere anxios et incertos, et non leve dedecus medicis inurunt. Tamen quibusdam morbis omnium medicorum consensu hae aquae auxilio sunt. Aliis quidem prosint necne, dubium est; at nemo dubitat, quin tutae sint. Aliis omnes earum usum interdicunt. Quid autem aegrotis illis faciendum est, quibus hi Bathoniam suadent, illi perniciosam fore contendunt? Profecto, ut mihi videtur, ubi medici prudentes in tam diversas sententias eunt, ibi censendum est hos fontes esse exiguarum vel nullarum virium. Quippe verisimile est hujusmodi aegrotos, cum illos liberet, vel corporis vel aliorum remediorum beneficio fuisse restitutos, vel morbo suo succubuisse sine harum aquarum crimine. Taceo chemicorum analyses, ut parum idoneas ad vires quorumcunque medicamentorum explorandas; quae vix aliunde petendae sunt, quam ab ipsis aegrotis, quibus fuerint adhibita.

Usus horum fontium vel extrinsecus, vel intus est. Tum quoque vel totum corpus immergitur, vel in exiguam ejus partem aqua impellitur; quo pacto contractionibus musculorum et aliis distentionibus succurritur. Adversus levia cutis vitia balneum aliquid prodest, vix remedii nomen meretur. Nondum mihi constitit debilitatem, quae rheumatismum, arthritidem, aut paralysin sequitur, citius finiri per balneum Bathonicum quam sine illo. Nonnulli mihi visi sunt infirmiores esse facti lavatione tepida; quibus frigida longe fuit utilior. Quicquid est, nihil interesse puto aquae Bathonica, an quaevis alia pariter tepida corpori extrinsecus admoveatur.

Aqua Bathonica potata certissime medetur nauseae matutinae et vomitui, fastidio, doloribus ventriculi atque aliis ebriosorum malis, nisi haec eo usque creverint, ut vel hepar factum fuerit scirrhosum, vel hydrops immineat; tunc enim adeo non proficit, ut res aegri fiant deteriores mortemque properet. Adversus alia quoque ventriculi et viscerum mala saepissime profuit, sic ut operae pretium fuerit omnibus ad eam confugere, quotquot laborant cruditate, diarrhoea longa, singultu, inflatione, vomitu et quibuscunque distentionibus, vel doloribus, vel debili-

tate horum viscerum, modo pulsus sit naturalis. Etenim ubi nulla fuerint febris hecticae signa, locus mihi datus est nunquam suspicandi Bathoniam his aegris nocuisse; quamquam eorum votis non semper responderit. Tamen haud facile est intellectu, quam ob causam exitus prosper quibusdam defuerit.

Multi periti et sagaces medici intus uti praecipiunt aqua Bathonica contra vagos dolores, rheumatismos et icterum simplicem, ubi hepar est integrum. Verum, ut propriam consulam experientiam, Bathonia in his morbis tuta quidem est, at supervacua. Plus laudis obtinuit in colica Pictonensi; et tamen difficile est dictu, quo demum hujus morbi statu Bathonia sit adeunda. Nam initio, dum intestina torminibus dilacerantur, longe valentiora remedia necessaria sunt ad dolorem compescendum et periculum submovendum. Finito autem impetu, si artus non resolvantur, aeger jam valet, et medicina omnino non eget, modo in posterum aditus plumbi in ventriculum possit intercludi.

Prorsus enim assentior sententiae viri summi Georgii Bakeri, qui invictis rationibus stabilivit plumbum esse unicam ejus morbi causam; quamquam haud ubique liceat investigare, qua via intus receptum sit. Post gravissimas colicae accessiones, a quibus aeger tandem assurrexit, modo causa manifesta sit et potuerit vitari, corpus ad integram sanitatem venisse vidi, et multos annos permansisse nullis obnoxium torminibus; sic ut par fuit credere nulla morbi semina superfuisse. Quin etiam ubi morbus longus fuerat, artusque resoluti, eorum debilitas paulatim imminuta est, et dolores non reversi sunt, postquam aeger vinum Ulyssiponense potare desiisset, cujus libram quotidie potans colicos dolores intulisse conjeceram. Quod si introitus hujus veneni in corpus detegi et praecaveri non possit, tam neque Bathonia, nec quaevis alia remedia impedient quo minus redeant tormina, et aeger lenta morte pereat. Cum vero tantum in ventriculum demissum est, ut accessiones colicae faciat repetitas et tandem artus resolvat; si quis tunc putet aquam Bathonicam morbum posse extinguere et vires amissas restituere, his equidem conjecturis nihil habeo quod vellem opponere, et nemini sane aquam Bathonicam interdicerem:

procul dubio enim tuta est, neque aliud cognovi remedium, quod hujus morbi semina, si quae restent, efficacius extinguat. Praeterea in omnibus morbis longis aquae istae, modo tutae sint, et aeger non gravetur ire Bathoniam, multa secum commoda ferent. Scilicet mutatio coeli, et intermissa vitae consuetudo minus salutaris, depositaeque curae et negotia, ut fit Bathoniae, multum conferent ad valetudinem a morbis confirmandam.

In scirrhis et exulcerationibus pulmonum aut ventris aquae Bathonicae sunt perniciosissimae. Nam intendunt calorem febrilem, qui his malis fere semper accedit, atque omnem spem salutis funditus tollunt. Quapropter hujusmodi aegroti iterum iterumque monendi sunt Bathoniam fugere longe, nisi se velint, in summo semper periculo versatos, reddi deploratos ac prope depositos.

In affectibus qui vocantur hypochondriaci et hysterici, aegri sive extrinsecus seu intus utantur his fontibus, plerumque ex iis pejus habent. Nullos memini adjutos fuisse nisi eos, qui vexati fuerant doloribus ventris, inflatione, aut acore, quod genus malorum illis interdum morbis accedit. Neque sane vita, qualis Bathoniae agitur, negotiis omnibus soluta, convenit aegrotationi, quae ex otio nimio, saepius quam ex nimiis occupationibus, consuevit oriri. Fit tamen interdum, ut negotiosi quoque affectu hypochondriaco exerceantur. Vexationes enim in rebus agendis natae, animum interdum adeo implicant et irretiunt, ut se expedire non possit, nisi in quodam tranquillo secessu, qualis est Bathonia, ubi vacuitas molestiae et curarum aegris medetur, quamvis aqua ferat honorem. Idem contigit in languore illo et virium defectione, quae morbos longos sequuntur; quibus spatium et quies unice medentur.

CAP. XIV.

De aqua Bristolica.

Aqua Bristolica nomen obtinuit eximiae puritatis, et habetur in numero celebriorum remediorum ad

phthisin et ad alios morbos. Sed nemo, opinor, qui non hospes sit in chemicorum scholis, defendet puritatem hujus aquae; et nescio an multo potiore jure vindicabit sibi famam medendi phthisi, vel alii morbo cuicunque.

CAP. XV.

De bronchocele.

Tumor glandulae thyreoideae frequens est in quibusdam Britanniae partibus; et aliquando occupat eos qui alia quoque loca habitant. Feminae, maxime juniores, huic morbo praecipue sunt opportunae. Ejusdem generis esse videtur, ac tumidum guttur in Alpibus; quod, quamvis multa secula familiare fuit earum regionum incolis, nondum tamen compertum est vel vitae periculum intentare, vel valetudinem multum perturbare, vel ullum omnino malum inferre, praeter deformitatem. Vidi tamen aliquos, qui suspicati sunt, hunc tumorem, quodam corporis situ, fecisse spiritum paulo difficiliorem. Causam bronchoceles quaerendam esse censeo in aqua, cujus propterea investigatio chemica multum desideratur. Nunquam novi hujusmodi tumorem suppurare.

Aqua marina, vel in qua liquatum est sal aliquod purgans, diutius pota, mutatio loci, aut ubi id commode fieri nequit, potio alterius cujuslibet aquae purae, qualis est destillata, vel Malvernensis, plurimum valebunt ad submovendum hoc vitium, et ad prohibendum ne revertatur.

CAP. XVI.

De calculo urinae [1].

Feminae minus opportunae sunt calculo urinae quam viri; neque enim tam aptae sunt ad calculos gignen-

[1] Calculi in aliis quoque corporis partibus interdum nascuntur; [illegible]

[illegible] et, quum genuerint, potentius expellunt, quinimo quam grandiores facti molesti esse coeperint.

[illegible] facile est discernere calculum vesicae, ut si fuerit, sedem ejus certo definias. Tumor prostatae scirrhosus adeo similis est calculi, ut interdum summi judicii viros et in arte sua exercitatissimos, post omnigenas inquisitiones diligenter factas, inter se dissensisse de natura morbi, quum hi prostatae scirrhum, illi calculum vesicae esse judicabant. Etenim calculus sic latere potest in vesica, ut eludat catheterem, cujus rei cum plura exempla vidi, tum praecipue in quodam, cujus vesica saepe explorata fuerat a chirurgis peritissimis, et calculus nunquam reperiri potuit; tamen de mortuo extractus est qui pendebat fere duas uncias cum dimidia. Verum quanquam prostatae sit in morbo, tumor ejus et durities minores esse possunt, quam ut manu comprehendi et certum de iis judicium ferri possit; praesertim cum prostata perhibetur aliquanto fieri tumidior, quandoque cervix vesicae calculo saepius vexata fuerit. Scirrho hujus glandulae semper accedit crebra [illegible] [illegible] urinae, et [illegible] copia [illegible] redditur, qui quidem eo abundantior est, quo pejus aeger habuerit. Ad haec, stranguria quoque et tenesmus sunt. Urina raro fit cruenta ex prostatae scirrho; aut si forte cruor aliquis cum urina misceatur, non nisi exiguus est et non augetur equitando. Tum stercora dura cum dolore excernuntur, et testiculi interdum tument; quae signa propria sunt hujus scirrhi. Verum nescio an optimum hujus morbi indicium sumatur ex universi corporis perturbatione, quae perquam [illegible]bilis est; etenim macies est, et cibi fastidium, et debilitas, et frequens horror, concitantur venae, et morbus indies augetur fere sine remissione. At calculosorum dolores diutius conquiescunt, et absque his esset, valetudo foret integra: quae praecipua nota discernitur calculus ab ulceribus renum, aut vesicae. Urina cruenta sine ullis signis ulceris intus latentis, maxime si motu et exercitatione augeantur, fere semper indicat calculum in urinae viis haerentem. In libris medicorum multa alia [illegible]

[illegible]

[illegible]

rantur causis, quas cum segnius vix unquam potui suspicari, opinione rariores fieri crediderim.

Postquam constiterit calculum esse, haud in promtu est definire, qua parte situs sit; quae tamen res non multum interest curationis: nam eadem medicamenta ubique convenient, nisi quod interdum opus erit catheter, ad calculum a cervice vesicae movendum. In impetu autem doloris, ubi ubi is fuerit, opium est unicum remedium.

Urina nigra, vel cruenta, seu fuerint sine ullo dolore, sive cum hebete aut interdum acuto paulum supra coxam, referenda est ad calculum renis. Cum doloribus quoque nephriticis saepe, sed non semper, vomitus est. Torpor femoris vel cruris, dolor in flectendo corpore, testiculus sursum tractus, et dolor extremae urethrae, adhuc minus certa sunt ejusdem mali signa.

Non constat, unde fiat ut calculus renum in aliis tam atroces dolores moveat, dum in aliis renes materia calculosa referciantur sine minimo doloris sensu. Facies et situs calculi videntur esse praecipuae hujus discriminis causae; sed et in nonnullis hominibus acutior sensus his partibus inest: cognovi enim aegros, qui distincte perciperent totum calculi descensum per ureterem a rene usque ad vesicam; cujus alii ne minimam habent cognitionem. Hi calculi in descensu suo ad vesicam saepe moras faciunt, et in iis locis ureterem dilatant, quod didicimus incidendo cadavera calculosorum.

Dum vel renes ipsi, vel partes vicinae dolent, multum muci gignitur, qui simul cum urina redditus nonnullos terret vano metu ulceris. Impetus doloris calculosi, quod post mortem manifestum fuit, levem inflammationem potest excitare, quae, quamquam nullum sit ulcus, faciat humorem purulentum a cavitate renum exsudare, qui specie cremoris subsidens in urina, multo propius pus refert. Ulcus autem severa subesse ostendunt puris copia et assiduus cursus, tum vero maxime humoris odor malus. Ulcera renum, ut par fuit credere, perseveraverunt multos annos, et totus ren tabe consumtus est; quemadmodum saepe fit in pulmonibus. At vero ulcus alterutrius renis, modo spectet neque ad gangraenam nec ad carcinoma, longe minus periculosum est, quam ulcus

[illegible]; et [illegible] est [illegible] aegrum restitui posse in valetudinem non incommodam.

In feminae cujusdam urina per decem menses subsidebat ingens copia muci foetentis, adeo tenacis, ut fundo vasis fere agglutinaretur. Postea fila sanguinea conspiciebantur in urina sine ullo dolore aut stranguria, ne quidem cum in curru veheretur. Valetudo interea satis firma videbatur. Biennio post, cum gravida facta est, simul cum urina expulsa sunt nigra quaedam corpuscula male olentia, et deinde brevi subsecuta sunt urina cruenta, singultus, abortus, et mors. Inciso cadavere, ren dexter materia calculosa plenus apparuit, pelvis erat gangraenosa et pure foetido plena, totus ureter erat multum dilatatus crassusque, et induruerat fere in cartilaginem. In sinistro etiam rene calculus repertus est; nullus autem in vesica. Hinc docemur, primo: mucum tenacem et male olentem cum urina posse excerni, quamvis nullum fuerit ulcus: etenim cum primum is repertus est in urina hujus aegrae, ren quidem calculo vexabatur, et verisimillimum videtur cetera fuisse integra. Deinde intelligitur ex hac historia, calculum renis interdum nec dolorem, nec stranguriam excitare.

Signa calculi in vesica sunt crebra cupiditas urinae, quae in medio quoque cursu saepe subito interrumpitur; dolor et calor mox post urinam, item tenesmus; et dolor extremae urethrae, et urinae vel incontinentia, vel suppressio, dum pulsus interea est naturalis, et valetudo ceteroquin bona. Omnia haec mala plerumque exasperentur equitando, et interdum, sed rarius, ambulando; quilibet etiam motus nonnunquam urinam cruentat. Nonnullis, sed perpaucis, contigit, incommoda ex calculo, quamquam gravia, vix omnino aucta fuisse vel ambulando vel equitando; in quibus tamen post mortem constitit calculum fuisse unicam dolorum causam. Idem aeger modo in curru vehi optime sustinuit, cui hic motus alio tempore fuit prorsus impatibilis. Tormentum e calculo ortum non tam deberi magnitudini ejus videtur, quam faciei, et loco in quo situs est. Sunt procul dubio quidam calculi positus tales, ut grandis licet et asper sit, levem tamen, aut nullam molestiam, sive renibus, seu vesicae afferat. Quod nisi ita esset, calculosos assi-

dine dolore torqueri necessarium esset, nulla interposita quiete; quod quidem in his aegris inauditum est.

Qui semel natus et aptus fuit ad gignendam materiam calculosam in viis urinae, is per totam vitam arena et calculis vexari consuevit; et posteris etiam suis eundem corporis habitum saepe transmittit. Neque tamen desunt exempla eorum, e quorum vesicis, dum pueri essent, calculus extractus est, qui deinde vixerunt quinquaginta annos ab omni morbi indicio liberi. Alios etiam novi, qui, quamquam saepe experti fuerant dolores calculosos, et multos calculos expulerant, tamen vesicam et renes habuerunt integros, nullo vestigio calculi, neque morbi cujuslibet, post mortem invento. Verumtamen, ubi quis arenam et exiguos calculos expellere cum urina diu consuevit, deinde repente nullos videt per annum aut amplius, suspectae illi esse debent hae induciae. Nam in eo casu plerumque fit, ut omnis calculosa materia ad nucleum aliquem adhaerescat, et ibi coacervetur, donec tandem justus calculus fiat, et signa consueta edat. Tunc non superflua erunt illa remedia, quae prosunt adversus arenae generationem, quae impediunt saltem quo minus haec arena in urinae viis subsistat. Calculum pendentem octo et viginti grana simul cum urina viri cujusdam expulsum fuisse memini; feminis etiam multo grandiores exprimuntur. Horum unum vidi, figurae ovatae, cujus minor ambitus erat quatuor pollicum; atque eadem mulier die sequente infantem enixa est conatu et dolore minoribus quam a calculo passa fuerat. Motus omnis sollicite vitandus est, qualis urinam cruentat, quoniam arena circum cruorem facile concrescit, et fit rudimentum calculi.

Remedia ad calculum sunt vel illa, quae impetum doloris leniunt, vel quae reddunt urinam idoneam ad calculos dissolvendos. Inter remedia propria nihil aeque valet ac opium. Tincturae opii guttae viginti, vel quantum opus est, cum aquae tepidae sex unciis in alvum infusae, multo efficacius tollunt dolorem, quam medicamenta ex oleo, vel e seminibus oleosis. Uva ursi famam aliquam obtinuit omnem difficultatem urinae sanandi; sed ad spem meam parum respondit. Neque tamen iners prorsus est herba, et destituta omni potestate in corpus humanum; quippe

in quodam, qui eam saepe sumserat, semper infecit urinam colore viridi. Praeter hunc vero, neminem vidi, in quo idem contigisse audiverim. Aqua calcis in multis urinam imbuit vi materiam calculosam dissolvendi. Tutum certe est hoc remedium. Etenim vidi, quibus hic fuit unicus potus per aliquot annos, et consuetudine etiam factus est non injucundus. Quidam calculosus, qui prae dolore vix omnino auderet ambulare, postquam diu sumserat hanc aquam et ab omni alio potu abstinuerat, in curru vehi per vias lapidibus inaequalibus stratas facile sustinuit: praeterea, urina ejus intra paucos dies comminuit et in nihilum redegit calculi fragmentum, quod antea immersum erat in urinam aliorum per aliquot menses sine minima ponderis diminutione. Sed, ut quod res est fatear, neque aqua calcis, nec aqua kali puri, ubique medetur huic morbo. Effectus horum medicamentorum in omnibus calculis tardus est, in aliquibus nullus: sunt etiam qui in ipsam aquam kali puri immissi vix aliquid de pondere suo amiserunt. Verumtamen, si saepe impediant quo minus calculi nascantur, aut si eorum compagem, ubi nati sunt, laxent, ut verisimile videtur, solvantque; spinas quoque et aspretudines aliorum expoliant, praecipuas doloris causas; utique remedia erunt haud contemnenda. Memini calculosum, qui aquae kali puri semunciam quotidie sumsit in decem annos, sine minima suspicione mali aut incommodi: et vix dubitari potest quin calculorum compaginem laxaverit. Quippe cum urina exierunt unciae aliquot fragmentorum, quorum facies altera convexa erat, altera concava. Interea vir hic, quem morbus diu domi detinuerat, jam patiens esse vehiculi coepit et per ultimos vitae annos parum doloris expertus est, licet antea crebras ac vehementes accessiones pati solitus erat. Quamquam autem tantus hujus medicamenti modus tot annos sumtus multum sane egisset ad mitigandum morbum, multum tamen supererat agendum: post mortem enim reperti sunt in vesica duo calculi, quorum major pendebat grana quatuor et quadringenta, minor autem centum triginta duo; item ren alter calculis plenus erat. Dubium est aqua kali puri et aqua calcis prosint adversus calculos renum, necne. Quaeritur etiam an usus horum remediorum intermitti debeat, quoties urina est cru-

enta, aut nova nascitur doloris accessio; needum enim constat urinam inde fieri acriorem, sic ut exasperet haec mala. Attamen, cum accessionum tempora paucos fere dies non excedunt, cumque alia medicamenta tunc necessaria sunt, tutius omittentur, donec isti tumultus conquieverint. Quamdiu sumitur aqua calcis aut aqua kali puri, plerique sollicite cavent a cibis potionibusque acidis, ne scilicet vim medicamentorum hebetent. Nescio tamen, an fuerint justo severiora medicorum de hac re praecepta. Facultas enim concoquendi et digerendi cibos nondum adeo cognita et perspecta est, ut possimus definire quantum spatii intersit, priusquam acida suam naturam in ventriculo exuant, et alkalinos sales in se trahere haud amplius valeant; id quod perbrevi tempore fortasse efficitur. At possit majus impendere periculum ab aëre illo fixo, qui abundat non solum in visceribus, sed etiam in omnibus corporis humoribus; qui si cum istis medicamentis misceatur, illico tollit vim eorum extricandi aërem ex urinae calculis. Ecquis autem tam consultus fuerit legum, quibus corpus humanum administratur, ut medicamentorum facultates explicare audeat?

CAP. XVII.

De dolore capitis.

Natura dolorum capitis perquam obscura est. Variae sunt eorum causae, et saepe sibi invicem contrariae. Officia cerebri parum intellecta necessario offundunt tenebras morbis hujus partis. Multi ex iis videntur aliquid commune cum cerebro habere; nam dolor proprius est capitis et longe diversus ab illo, qui alia parte qualibet sentitur; quamvis, demto cerebro, eadem prorsus capitis, ac reliqui corporis, conformatio est. Porro cadaverum incisiones demonstrarunt eum saepe ex cerebri ipsius vitiis oriri. Hujus profecto morbi sedes, et longa ejus mora, et crebri reditus, jure possent incutere metum magni cujusdam detrimenti subsecuturi; quod tamen contra fit. Atroces enim capitis dolores nonnullos fatigarunt per

totam fere vitam, absque eo, ut vel mors acceleraretur, vel ingenii vires minuerentur; at ubi dolor conquieverit, aegri omnes res, sicut antea, ministrarunt. Paralyseos levissima accessio longe plus detrimenti affert, quam capitis dolores vehementes crebrique a pueritia usque ad senectutis initium. In hoc longo certamine valetudo corporis adeo non succumbit, ut morbum tandem ipsum vincere videatur, quem quidem ex innumeris aegris didici aetate ingravescente fieri mitiorem et demum prorsus finiri. Quae res vicem remedii implere debet, ubi omnia remedia frustra fuerunt: haud leve enim aegro solatium est, nosse morbum suum, qui medicamentis cedere recusat, tempori tandem esse cessurum. Idem quoque exitus est istius doloris capitis, qui incipit a caligine oculorum.

Hemicrania, sive dolor dimidii capitis, nomen inter medicos veteres obtinuit, quo ab aliis capitis affectibus distinguitur; tamen ex tam longa experientia nondum didicimus, praeter sedem, quodnam sit discrimen inter hanc et alios ejusdem partis dolores. Mihi profecto hemicrania a latere sinistro saepius quam a dextro visa est; sive id casu acciderit, quod potius credo, seu lege quadam naturae. In multis aegris subinde redire consuevit per totam vitam; et morbo articulari superveniente non levata est: saepe quoque secuta est istum oculorum affectum, in quo dimidium rerum interit. Dolor alius capitis interdum sentitur supra laevum oculum, et multo adhuc minus spatium occupat, nempe ad magnitudinem pollicis unius. Diem unum et alterum hic perseveravit, et bis terve singulis mensibus reversus est. Feminae videntur opportuniores huic malo quam viri, tum maxime illae, quae affectu hysterico tentantur. Dolores alii sinciput, alii occiput occupant, alii quoque in aliis locis fixi sunt; quos omnes sollicite numerare vix operae pretium foret, nisi inde certiores fieremus, quid morbos hos faciat, aut quid tollat. Taceo dolores capitis venereos, qui signis istius morbi propriis discernuntur et propriis ejus remediis sanantur.

Nonnulli capitis dolores vere, vel autumno, vel etiam tempestate utraque redeunt. Pauci aestate, plures hieme molesti sunt: quidam experrectis somno. Plerique vero prorsus inordinati sunt, nulla certa

tempora observantes. Neque minus incertum est, quamdiu dolor mansurus sit; modo enim paucas horas, modo diem integrum, modo plusculos dies perseverat; interdum vix conquiescit per aliquot annos. Interdum habitu corporis majorem in modum mutato finitus est hujusmodi affectus, qui fuerat ab ineunte aetate. Item asthmate superveniente cessavit; et feminis gravidis pepercit, quas semper alias vexabat.

Dolori huic, satis per se molesto, alia interdum mala accedunt: nimirum vertigo, quae aliquando antecedit, maxime in vetustis capitis doloribus; oculorum perturbatio, flammulae, nubila, aut color aliquis ante oculos versatus, stupor, et caput quasi cingulo compressum; item affectus hysterici varii, quales sunt horrores, sudores frigidi, animae defectiones, frigus pedum, torpor, veternus, sonitus, vocis atque luminis breves amissiones, nervi in artubus tracti, et mens turbata. Accessione graviore finita, caput interdum in diem unum leniter dolet. Capite laborante, ventriculus etiam saepe tentatur inflatione, distensione, angore, dolore, ardore, nausea, vomitu, dejectionibus frequentibus, aut lumbricis. In non paucis aegris caput et ventriculus vicissim, aut male aut bene, se habent. Constat itaque consensum quendam inter has partes intercedere, atque altera aegrotante, in altera esse causam morbi posse. Sanatis ulceribus veteribus, aliisque cutis vitiis, aut menstruis feminarum perturbatis, credibile est ventriculum primum affici, et ex hoc deinde in caput malum transire.

Plerique capitis dolores vacant periculo; ubi autem ad hos accedant stupor, aut colli universi tumor, aut mentis alienatio, aut distensiones membrorum, res aegri nequaquam in tuto sunt; hujusmodi enim mala subsecutae sunt epilepsiae, paralyses, et apoplexiae.

Ex cephalaeis mortiferis nonnullae, quod inspecto post mortem cerebro didici, ortae sunt ex ingenti copia humoris cerebrum distendentis, vel e partibus cerebri suppuratis, vel e tumoribus in illo natis; unde primo dolor excitatus est, et postea, cerebro vehementius presso, nervorum facultates aut turbatae sunt, aut perierunt. Multa huc pertinentia in scriptis medicorum reperiuntur, quae, cum mihi pro-

positum est historiam morborum literis mandare non a libris, sed a natura petitam, silentio praeteribo.

Adeo nihil perpetuum est in curatione horum morborum, ut eadem ratio medendi, nulla manifesta de causa, diversos plane et contrarios exitus habeat, et modo levet, modo exasperet dolores per omnia, ut visum est, simillimos. Quaenam itaque vera sit ratio sanandi hunc affectum, viderint sagaciores, vel feliciores posteri: nobis profecto haud semper dictu proclive est, quae sit maxime probabilis.

Angor et perturbatio animi, sonitus vehementior, defatigatio animi aut corporis, lux splendida, aër conclavis turba hominum calefactus et inquinatus, cruditas, tussis, fere semper intendunt capitis dolores. Cutis vitia, cibus, somnus, calor foci, aestas, hiems, regio tepida, podagra, et sub diu versari, in diversis hominibus diversos effectus edunt. Tamen vitia cutis, somnus, corporis tepor, aestas, regio tepida, et sub diu agere, maximam partem auxilio fuerunt. At lavatio frigida, sanguinis detractio per hirudines, vel incisa vena, cutis exulcerationes diu servatae, fonticuli, et quae movent sternutamenta, si nihil nocuerunt, quod nonnulli suspicati sunt, at certe saepissime non profuerunt: in eodem censu sunt medicamenta nervorum propria, et balneum, et opium. Quamquam autem omnia, quae vulgo jactantur, hujus valetudinis remedia, interdum fuerunt supervacua, at spem meam rarius fefellerunt emplastrum quod erodit capiti admotum, sanguinis sex unciae per cucurbitulas singulis mensibus detractae prope occiput, et pilulae dormituro datae, quae habent aloës granum unum, radicis colombae grana quatuor. Vomitus quoque saepe profuit, et vomendi conatus opinione minus dolorem auget: itaque singulis mensibus utiliter elicitur. Vomitus seu voluntarius, sive medicamento excitatus, haud contemnendo fuit praesidio contra illum capitis dolorem, qui initio febrium incidit; quem etiam certissime tollit emplastrum cantharidis inter scapulas impositum. Fomenta calida capiti aut pedibus admota semper minuunt, saepe tollunt hunc affectum; interdum illum tuto solvit opium.

CAP. XVIII.

De dolore capitis intermittente.

Cortex peruvianus remedium fere certum est ad febres intermittentes, in quibus universum corpus aegrotat. Quod si partis alicujus dolores certum habent circuitum, non solum hic cortex, verum alia omnia medicamenta, quae huc usque tentavi, saepe frustra fuerunt. Hoc eo magis molestum est, quia cum hujusmodi affectus occupet caput aut faciem, ut saepe fit, aegri angore conficiuntur, qualem in paucis aliis morbis inveneris, siquidem aestimetur querelis, a quibus vix patientissimus quisque temperare potest.

Hic morbus modo occupat caput universum, quemadmodum alii capitis dolores, modo occiput, modo sinciput, saepissime partem aliquam faciei; et quamquam ambae in eodem aegro tentatae sint, tamen pars sinistra saepius afficitur quam dextra. In impetu doloris labrum superius, vel gingivae, vel gena, et musculus temporalis, vel haec simul omnia adeo anguntur, ut aegri non sustineant manducare, nec devorare, nec loqui: verum os saliva, oculus impletur lacrymis, refugitque lumen; palpebrae quoque tument et rubent, atque interdum prae summo dolore fiunt coeruleae. Interdum calor faciei et rubor, et insolitus salivae cursus antecedunt; et ad haec in nonnullis accedunt vomitus, et distensiones nervorum leves, et tremores partium affectarum. Accessiones modo horam unam, modo plures horas, vel etiam biduum manserunt, et circuitum habuerunt non minus certum, quam febres quotidianae, aut tertianae. Quinetiam rediit haec pestis decimo quoque die, vel singulis mensibus, vel bis in anno. Plerumque tamen paulo inordinatior fit. Nonnullis contigit esse tam infelicibus, ut morbus potius esset continuus quam intermittens, a levissimo quoque conatu loquendi, aut edendi, excitatus, motuve vehiculi, aut aurae frigidioris afflatu; sic ut in annos plures raro liberi fuerint ab hoc tormento. Uterque sexus obnoxius est huic morbo; maxime autem feminae. Nulla aetas secura est, a pueritia usque ad octogesimum vitae annum. Torpor quidam interdum fuit ad horas aliquot post accessio-

nes; saepius, ubi earum tempora praeterierunt, omnia mala conquiescunt.

Quod ad curationem attinet, quaecunque corpus exinaniunt, sunt supervacua fuerunt aut perniciosa; nulla autem magis quam sanguinis missio. Cataplasmata molesta sunt et aegrotantium calamitatem potius augent. Cortex peruvianus saepe fallit, pariter ac radix valerianae sylvestris, gummi foetida, myrrha, moschus, camphora, opium, succus cicutae, pulveres sternutamenta moventes, emplastra cantharidis, ulcera alte inusta, electrificatio, fomenta ex cicuta, lavatio pedum tepida, aether faciei illitus, vel spiritus vini, linimentum saponis cum vel sine tinctura opii, oleum succini, arteria temporalis incisa, dentesque refixi; neque plus profuit superveniens podagra. Attamen cortex cinchonae interdum auxilio fuit, neque tam raro, quin primus locus huic medicamento jure tribuendus sit; hujus unciam quotidie sumere oportet in dies septem. Emplastra quae erodunt sub auribus imposita interdum doloris impetum mitigarunt; neque tantum succi cicutae, quantum sine vertigine sumi possit, non aliquando prosperum exitum habuit. In quibusdam aegris, ubi nihil aliud auxilio fuit, quarta pars grani antimonii tartarisati cum tinctura opii guttis quadraginta sex noctes sumta morbum prorsus fugavit. Fuit quoque ubi lavatio frigida non poenitendam opem attulerit. Quodsi aeger vel nequeat devorare vel aversetur corticem peruvianum, aquae in qua is decoctus est unciae sex, et ejusdem in pulverem triti drachmae binae, semel vel bis quotidie in alvum infundi debent, et ubi opus est, his adjicere licet tincturae opii guttas quadraginta.

CAP. XIX.

De carbunculo.

Carbunculus dicitur tumor magnus ruber, plerumque in dorso enatus, cujus fundum spongiosum humore purulento madet, qui per omnes rimas copiose manat. Brevi accedit febris, cum jactatione multa, debilitate, fastidio, vigilia et macie. Quae cum sit

ejus conditio, manifestum est eum vel causam esse vel effectum valetudinis majorem in modum perturbatae. Seniores et valetudinarii maxime opportuni sunt carbunculo. Dicitur urina in hoc morbo super potionum modum mingi; quod tamen usus mihi non confirmavit. A quibusdam solita tantum copia reddita fuit, et in ea aliquid plerumque subsedit; in uno prorsus suppressa est biduum ante mortem. Hoc malum semper periculi plenum est et non rara mortiferum. Oportet dare tantum corticis cinchonae, quantum sine fastidio sumi potest. Ad jactationem et vigiliam opium est tutum atque unicum remedium.

CAP. XX.

De chorea Sancti Viti.

Chorea quae dicitur Sancti Viti praecipue implicat pueros et puellas, ab usque decimo aetatis anno ad quindecimum. Neque tamen hoc adeo perpetuum est, quin curaverim sexennem hoc morbo laborantem; qui porro alteri contigit anno vigesimo. Ex aegris, quos vidi, tantummodo quarta pars fuere mares. Crura et brachia nolentibus agitantur; brachia autem magis quam crura. Tum sua voluntate hos artus movere aegri non possunt, nisi paululum, et fere ridicule. Alterum latus corporis plerumque afficitur gravius quam alterum, sicut fit in hemiplegia; sed tamen in eodem aegro morbus modo hoc, modo illud latus infestat. Debilitas quaedam, et breves nervorum distensiones, atque alia levia hujus affectus signa, non raro menses aliquot exercuerunt hos aegros, antequam vera facta sit chorea: in aliis post vehementes nervorum distensiones repente nata est; saepe genua prius dolent et impediuntur. Fit quoque lingua morbi particeps, unde omnes sic occupati balbutiunt: atque nonnulli adeo parum distincte loquuntur, ut animus vix possit intelligi; aliis vox ex toto supprimitur. Puero cuidam cum crura vehementer agitabantur, motus involuntarii superabant omnes movendi conatus leniores; membris autem fortius impulsis morbus superabatur: ergo currere potuit, qui non potuit ambulare; quod etiam in ebriis fieri consuevit.

Ad hoc distensionum genus accedunt vertigines, torpores, angores ventriculi, somni perturbati, et macies, licet aviditas cibi non multum minuatur; postremo mens et ingenium fiunt infirmiora et magis puerilia. Morbus rarissime periculosus est; trahit vero diutius. Paucissimi intra mensem restituuntur; et plerique aegrotant in menses duos, vel tres: unus et alter annum integrum laboraverunt. Quamquam raro repetat, interdum tamen contigit, ut qui ab eo convaluerant, distensiones ejusdem generis leviores vere et autumno experti sint in annos tres aut quattuor. Perturbatio quoque animi gravior identidem revocavit obscura quaedam ejus indicia per decennium; nisi forte ad hystericum aut paralyticum affectum potius pertinuerint, quibus chorea Sancti Viti est cognata, non solum externa morbi facie, verum etiam remediis.

Sanguinis missio et purgantia valentiora haud bene conveniunt, ubi nullus est calor, aut inflammatio, et ubi morbus proprius est tenerae aetatis et sexus infirmioris, atque etiam nullis adhibitis medicamentis sponte sua plerumque conquiesceret, illaesa corporis constitutione. Haec, quae ratio dictat, usus confirmavit. Nam sanguis copiose detractus, aut alvus vehementius mota, nunquam mihi visa sunt profuisse; et vix dubitare licet, quin interdum nocuerint. Pulveris myrrhae compositi grana quinque et pulveris opiati grana duo, adjecto syrupi quantum satis est ut fiant pilulae, singulis noctibus dare juvabit, et simul quaecunque alvum lenissime movent, ubi ea nimis dura est; postremo aquae ex herba aliqua amara cyathus semel vel bis quotidie sumendus est. Haec remedia convenient, ubi quidem remediis opus sit. Cum vero aeger morbo se colligere coeperit, tunc in frigidam descendere juvabit; quod etiam morbo nondum inclinato utiliter tentatum novi.

CAP. XXI.

De coxae morbo et exulceratione.

In coxa aliquando fit vitium longum, aliud a sciatica, aut rheumatismo, in quo quamvis dolor modicus, pe-

riculum tamen summum est. Nascitur in articulo femoris; genu vero est in dolore, quo ipsa pars affecta fere vacat, etiam tum, cum tumor insignis est et indicia puris manifesta. Femur extenuatur et crus impar est corpori sustinendo. Hi aegri febre hectica et macie confecti interdum pereunt, priusquam tumor vel per se, vel scalpello aperiatur; saepius pus in partem exteriorem fertur, ubi fit ulcus humorem multum fundens, quod aegrum antea ruentem praecipitat. Paucissimi illi, qui ex hoc morbo evadunt, semper claudicant.

Hoc vitium in nonnullis indies auctum est per tres annos, priusquam occidit. Praecipue fit a sexto ad decimum sextum annum; qua etiam aetate articuli et partes corporis exteriores maxime affliguntur malis strumosis, quae postea in pulmones et abdominis viscera verti solent. Coxae autem exulceratio ad strumam pertinet, et cum aliis ejus signis saepe simul incidit. Cortex peruvianus, cicuta, opium, ulcera diutius servata, et quae alvum leniter movent, praecipua sunt ex iis, quae existimantur vel sanare, vel levare hoc anceps malum.

CAP. XXII.

De crurum dolore, tumore, inflammatione et ulceribus.

Dolores rheumatici et arthritici, et debilitas, communes sunt cruribus et reliquis corporis partibus. Quaedam illis propria sunt. Primo, tumores sine dolore; tum, acer humor, qui cutem facit densam, duram et intensam, cum intolerabili prurigine, quique exit per omnes rimas cutis, sive fissa seu unguibus lacerata fuerit: denique inflammationes de genere erysipelatis, cum dolore acuto, quibus nonnulli vexantur semel vel bis anno, praecedentibus horrore et calore; hujusmodi inflammatio consuevit esse molesta aliquot dies, et interdum desinit in ulcus sordidum multos annos insanabile.

Haec crurum vitia non semper intus nascuntur, sed interdum ex ictu. Feminae multo magis quam

viri illis opportunae sunt, praeter inflammationem illam erysipelatodem, quae paucos dies manet. Adolescentulae, quibus integra valetudo est, interdum experiuntur tumores in pedibus, praesertim aestate; quod raro aut nunquam juvenibus sanis contingit. Graviditati fere semper accedit crurum tumor. Rubor totius cruris cum cute crassa duraque, et impatibili prurigine, et humoris acris profusione, non raro vexat mulieres, quae annum quadragesimum excesserint, atque omnem chirurgorum artem diu fallit. Multo pauciores viri tentantur vel hoc morbo, vel ulceribus crurum.

Quodsi hujusmodi tumores, et inflammationes, et ulcera, propria fere sint crurum, tum praecipue fiant, ubi sexus, et aetas, aut casus aliquis universum corpus vel has partes reddiderint infirmiores; auxilio esse debet quicquid vim atque firmitatem vel augeat, vel imitetur; id quod pollicentur fasciae cruribus arcte obvolutae. Quam tuto hoc fieri possit, ex eo manifestum est, quod qui in lecto se continuent, impune dissipant hos tumores. Quin et ulcera sic redduntur multo tractabiliora, et tuto consanescunt. Nempe imbecillitas crurum, pondere humorum deorsum latorum oppressa, eo corporis situ levatur, perinde ac fieret per tibialia arctiora. Neque tamen est dissimulandum tumores atque ulcera in cruribus saepe deberi nimiae humorum acrium abundantiae, qui medicamentis reprimentibus tuto repelli non possunt. Difficultas spirandi, quae ex aqua in pectore fortasse orta erat, et in horas mortem intentabat, coepit mitescere protinus ut in artubus inferioribus ingens aquae copia cutem subiisset. Calores quoque, et multa ventriculi et aliarum partium mala, exulceratis cruribus soluti sunt. Contra, ulceribus his temere sanatis, secuti sunt dolores in capite, vertigo, torpor, spirandi difficultas, cibi fastidium, et ventriculi viscerumque angores. Quamobrem animo diligenter attendendum est, qualis hodie sit aegroti valetudo, et qualis olim fuerit, unde optime discernet medicus, haec vitia tuto sanari possint, an consultius fuerit patienter ferre praesens malum, ne in ejus locum gravius subeat.

Sales purgantes alternis auroris sumti, sic ut alvus bis vel ter descendat; corticis peruviani scrupuli

duo singulis noctibus dati, quibus, si visum fuerit, sexta pars grani hydrargyri calcinati adjecta est, remedia sunt apta ad educendos vel corrigendos humores vitiosos; atque haec continuare oportebit in mensem unum aut plures. Ulcus supra genu excitatum modo utile est in his affectibus, modo supervacuum.

CAP. XXIII.

De cutis vitiis.

Vitiorum cutis multiplex est natura et facies. Si modo color ejus mutatur, at neque eminet aliquid, nec dolet, vix morbus dici meretur. Hujus generis sunt maculae purpureae similes earum quae in febribus nascuntur, quas in pueris nonnullis vidi ubique sparsas, hic exiguas, illic latiores, sine febre aut ulla valetudine adversa: post paucos dies sua fere sponte decedunt [1]. Nec majoris intersunt illae maculae coeruleae vel lividae, quibus seniorum artus interdum notantur.

Pustulae exiguae saepe nascuntur in cute, et mox recedunt. Interdum vero manent, et serpunt latius, et fiunt furfureae, vel squamosae, vel crustam habent, quae rimas agit et humorem profundit. Hoc saepe fit in facie et cruribus; interdum quoque, sed multo rarius, totum corpus hujusmodi scabie, foeda pariter ac molesta, occupatum est. Pustulae modo rubrae sunt, modo ejusdem cum reliqua cute coloris, modo humidae, modo aridae, tum aquosae, vel purulentae, vel cum dolore aut prurigine, vel utroque vacantes; quaedam etiam prope accedunt ad furunculos. Denique, ungues fiunt asperi, crassi et squamosi. Pustulae confertae, exiguae, aqua plenae, postquam ruptae fuerint, punctis cruentis cutem notaverunt, non sine prurigine et dolore.

Vitiis cutis modo memoratis nomina imposuerunt medici veteres; quod vero cuique nomen datum est, hodie nec scitu facile est, neque multum refert scire. Quamobrem distributiones horum morborum in va-

[1] De his vide quae praecepta sunt cap. 78.

rias species et titulos, quae olim obtinebant, nunc fere negliguntur. Ex his plurimi, qui proprio nomine carent, vulgo, sed parum recte, appellantur scorbutici. De vero scorbuto et lepra, nihil habeo quod dicam, cum alter rarissimus est in urbibus, altera in Anglia paene ignota: unde factum est, ut hos morbos nunquam curaverim. Praeter hos autem, scabies, herpes et porrigo sunt fere sola cutis vitia, quae plerique medici iisdem nominibus nominare consenserunt.

Nonnulli cutis morbi a parentibus derivantur; et ubi hoc non fit, tamen saepe habent initium, non tam a cutis ipsius vitio, quam a malo corporis habitu; quales sunt, qui infantes nascentes occupant, et cum paucis intermissionibus usque ad mortis diem perseverant. Post morbillos et variolas interdum subsecutae sunt cutis deformitates, quae antea nullae fuerant; sive ortae sint ex labe quadam, quam isti morbi impresserant; seu tum demum excitata fuerint earum semina, quae diu delituerant; seu denique casu et fortuito factum sit, ut hoc potissimum tempore prodirent. Etenim id frequentius eventurum credibile est, siquidem ea foret morbillorum et variolarum natura, ut gignerent aut alerent cutis vitia.

Pustulae maxime vernis temporibus oriuntur aut increscunt. Secundum ver, autumnus his malis infamis est. Tamen hoc non est perpetuum. De aestate et hieme nihil certi affirmare possum, cum in utraque tempestate morbos, de quibus sermo est, modo mitigatos esse comperi. Calor lecti aut foci exanthemata nonnulla fecit recedere, quae revertebantur protinus ut corpus frigebat. In aliis, et forsitan pluribus, contrarii sunt caloris effectus.

Humor post aures infantibus frequentissimus est; et interdum, vel ob acrem ejus naturam, vel ob sordes non rite ablutas, per caput universum et faciem serpit. Furfureae aspretudines ad magnitudinem pollicis unius aut amplius corpus saepe et membra hic illic deformant, et non raro initium habent super olecranon. Impatibilis fere prurigo, sine ulla cutis mutatione, frequens est in ictero, et senectutis quoque incommoda saepe non mediocriter auget [1]. Quibusdam mulieribus pustula exigua in naso orta est,

[1] De [illegible] pruritu vide infra cap. 76.

quam super crusta innascitur, et serpit late, donec nasum totum, faciem, et collum contexerit, atque multos annos vincit omnia omnium medicorum et circulatorum remedia. Inter mares haec species rarior est, neque tamen prorsus ignota. Furfures et squamae in diversis corporis partibus, maxime in capite, nonnullos male habent per totam vitam.

Inter veros cutis morbos haud facile alium inveniemus contagiosum, praeter scabiem et porriginem. Femina, cujus cutis maculis latis furfureis quinquennium vitiata fuerat, lactabat infantem a materno morbo prorsus liberum. Est quoddam cutis vitium per omnia scabiei simile, et quod habuit initium e vera scabie, tamen contagione alios non afficit, neque cedit usitatis pleraeque remediis, tum quoque in quibusdam redit quotannis per multos annos. Dum auriculae tument et rubent, et humorem multum fundunt, saepe fit, ut glandulae quoque in cervice tumeant; quod etiam fieri consuevit, ubi emplastro cantharidis imposito aqua abunde exit. Sed hi tumores sine ope aliena facile subsidunt.

Omnibus in confesso est malum corporis habitum varia cutis vitia inferre; et, uti suspicor, quae principio erant cutis solius injuriae, eae tandem communicatae sunt cum corpore universo. Vidi enim exempla cutis ambustae aut collisae, quam secuta sunt signa omnia istius habitus, qui vulgo appellatur scorbuticus vel strumosus, quamquam valetudo antea fuisset integerrima. In aliis etiam vidi morbos cutis adeo non profuisse valetudini, ut secum attulerint languores et capitis dolores, qui simul semper accesserunt decesseruntque. Haec autem rariora sunt. Multo saepius fit, ut, pustulis enatis, totum corpus levetur, tamquam illud, quicquid nocebat, in cutem verteretur. Quodsi pustulae vel recessissent ultro, vel repulsae fuissent, protinus incubuerunt dolores in capite, vertigo, languor animi, vigilia, tussis, cibi fastidium, ardor stomachi, inflatio, nausea, angores ventris, dolores vagi, febricula, et macies. Dubium est in nonnullis, asthma, phthisis, et paralysis referenda sint ad vitia cutis intus versa, an utraque causam habuerint communem. Etenim fieri potest, ut grave aliquod malum undecunque invectum, vires corporis in tantum affixerit, ut amplius non valeat se levare

aegritudine illa, quam in cutem traijcere consuevisset.

Humor, qui exit post aures puerorum per quatuor primos vitae annos, aliam curationem non postulat, nisi ut partes illae saepe colluantur aqua tepida; quodsi cuticula attrita sit, linteum unguento quovis leni delibutum inter auriculam et caput erit interponendum. Reprimentia omnia vitanda sunt; quoniam intulerunt difficultatem spirandi, nervorum distensiones atque alia mala, quorum nihil accidisset, si soli naturae res fuisset permissa, quae sine auxilio artis, quicquid est mali, submovebit, quamprimum conveniat. Ubi vero ex usu medicamentorum exsiccantium puer coeperit aegrotare, utile erit unguentum cantharidis, quod humorem revocet in loca consueta.

In adultis non quidem periculosa, sed saepe difficillima sanatu sunt ea mala, quibus cutis obnoxia est. Multa enim sunt, quae insederunt penitus et inveteraverunt, sic ut omnia superent remedia extrinsecus vel intus adhibita; saepe quoque falso existimantur sanari, quae modo ad tempus subsistunt. Neque in proclivi est discernere, medicina vincantur, an sponte sua, ut solent, recesserint, mox iterum reditura. In quibusdam postquam conquievissent viginti annos, demum reversa sunt et indomito furore saevierunt; palam facientia causam tamdiu intus latentem non tantum minutam, nedum sublatam esse.

Ubi sudor abunde exit, et diffiari nequit, sicut in inguine, et sub mammis feminarum, atque in collo, et aliis partibus infantium pinguium, ibi mora saepe fit acer et cuticulam vicinam exedit. Praesidio sunt ablutio frequens, et pulvis amyli aut argillae aspersus, denique unguentum lene exceptum linteo et interpositum, sic, ut partes attritu ne laedantur. In mulieribus gravidis multae deformitates cutis, antea insanabiles, sponte sua cessarunt, quae tamen omnes post partum recruduerunt. Exulcerationes nonnullis subvenisse visae sunt, evocando et expellendo humores perniciosos, qui cutem foedabant: aliis autem illae fuerunt supervacuae.

Quod attinet ad remedia extrinsecus admovenda, illud sedulo tenendum est, acriora plerumque convenire, ubi pruritus est; sin dolor fuerit, lenia esse adhibenda, quae solvant potius, quam intendant do-

tempora observantes. Neque minus incertum est, quamdiu dolor mansurus sit; modo enim paucas horas, modo diem integrum, modo plusculos dies perseverat; interdum vix conquiescit per aliquot annos. Interdum habitu corporis majorem in modum mutato finitus est hujusmodi affectus, qui fuerat ab ineunte aetate. Item asthmate superveniente cessavit; et feminis gravidis pepercit, quas semper alias vexabat.

Dolori huic, satis per se molesto, alia interdum mala accedunt: nimirum vertigo, quae aliquando antecedit, maxime in vetustis capitis doloribus; oculorum perturbatio, flammulae, nubila, aut color aliquis ante oculos versatus, stupor, et caput quasi cingulo compressum; item affectus hysterici varii, quales sunt horrores, sudores frigidi, animae defectiones, frigus pedum, torpor, veternus, sonitus, vocis atque luminis breves amissiones, nervi in artubus tracti, et mens turbata. Accessione graviore finita, caput interdum in diem unum leniter dolet. Capite laborante, ventriculus etiam saepe tentatur inflatione, distensione, angore, dolore, ardore, nausea, vomitu, dejectionibus frequentibus, aut lumbricis. In non paucis aegris caput et ventriculus vicissim aut male aut bene se habent. Constat itaque consensum quendam inter has partes intercedere, atque altera aegrotante, in altera esse causam morbi posse. Sanatis ulceribus veteribus aliisque cutis vitiis, aut menstruis feminarum perturbatis, credibile est ventriculum primum affici, et ex hoc deinde in caput malum transire.

Plerique capitis dolores vacant periculo; ubi autem ad hos accedant stupor, aut colli universi tumor, aut mentis alienatio, aut distensiones membrorum, res aegri nequaquam in tuto sunt; hujusmodi enim mala subsecutae sunt epilepsiae, paralyses, et apoplexiae.

Ex cephalaeis mortiferis nonnullae, quod inspecto post mortem cerebro didici, ortae sunt ex ingenti copia humoris cerebrum distendentis, vel e partibus cerebri suppuratis, vel e tumoribus in illo natis; unde primo dolor excitatus est, et postea, cerebro vehementius presso, nervorum facultates aut turbatae sunt, aut perierunt. Multa huc pertinentia in scriptis medicorum reperiuntur, quae, cum mihi pro-

positum est historiam morborum literis mandare non a libris, sed a natura petitam, silentio praeteribo.

Adeo nihil perpetuum est in curatione horum morborum, ut eadem ratio medendi, nulla manifesta de causa, diversos plane et contrarios exitus habeat, et modo levet, modo exasperet dolores per omnia, ut visum est, simillimos. Quaenam itaque vera sit ratio sanandi hunc affectum, viderint sagaciores, vel feliciores posteri: nobis profecto haud semper dictu proclive est, quae sit maxime probabilis.

Angor et perturbatio animi, sonitus vehementior, defatigatio animi aut corporis, lux splendida, aër conclavis turba hominum calefactus et inquinatus, cruditas, tussis, fere semper intendunt capitis dolores. Cutis vitia, cibus, somnus, calor foci, aestas, hiems, regio tepida, podagra, et sub dio versari, in diversis hominibus diversos effectus edunt. Tamen vitia cutis, somnus, corporis tepor, aestas, regio tepida, et sub dio agere, maximam partem auxilio fuerunt. At lavatio frigida, sanguinis detractio per hirudines, vel incisa vena, cutis exulcerationes diu servatae, fonticuli, et quae movent sternutamenta, si nihil nocuerunt, quod nonnulli suspicati sunt, at certe saepissime non profuerunt: in eodem censu sunt medicamenta nervorum propria, et balneum, et opium. Quamquam autem omnia, quae vulgo jactantur, hujus valetudinis remedia, interdum fuerunt supervacua, at spem meam rarius fefellerunt emplastrum quod erodit capiti admotum, sanguinis sex unciae per cucurbitulas singulis mensibus detractae prope occiput, et pilulae dormitum datae, quae habent aloës granum unum, radicis colombae grana quatuor. Vomitus quoque saepe profuit; et vomendi conatus opinione minus dolorem auget: itaque singulis mensibus utiliter elicitur. Vomitus seu voluntarius, sive medicamento excitatus, haud contemnendo fuit praesidio contra illum capitis dolorem, qui initio febrium incidit; quem etiam certissime tollit emplastrum cantharidis inter scapulas impositum. Fomenta calida capiti aut pedibus admota semper minuunt, saepe tollunt hunc affectum; interdum illum tuto solvit opium.

phthisin et ad alios morbos. Sed nemo, opinor, qui non hospes sit in chemicorum scholis, defendet puritatem hujus aquae; et nescio an multo potiore jure vindicabit sibi famam medendi phthisi, vel alii morbo cuicumque.

CAP. XV.

De bronchocele.

Tumor glandulae thyreoideae frequens est in quibusdam Britanniae partibus; et aliquando occupat eos qui alia quoque loca habitant. Feminae, maxime juniores, huic morbo praecipue sunt opportunae. Ejusdem generis esse videtur, ac tumidum guttur in Alpibus; quod, quamvis multa secula familiare fuit earum regionum incolis, nondum tamen compertum est vel vitae periculum intentare, vel valetudinem multum perturbare, vel ullum omnino malum inferre, praeter deformitatem. Vidi tamen aliquos, qui suspicati sunt, hunc tumorem, quodam corporis situ, fecisse spiritum paulo difficiliorem. Causam bronchoceles quaerendam esse censeo in aqua, cujus profundo investigatio chemica multum desideratur. Nunquam novi hujusmodi tumorem suppurare.

Aqua marina, vel in qua liquatum est sal aliquod purgans, diutius pota, mutatio loci, aut, ubi id commode fieri nequit, potio alterius cujuslibet aquae purae, qualis est destillata, vel Malvernensis, plurimum valebunt ad submovendum hoc vitium, et ad prohibendum ne revertatur.

CAP. XVI.

De calculo urinae [1].

Feminae minus opportunae sunt calculo urinae quam viri; neque enim tam aptae sunt ad calculos gignen-

dos, et, quum genuerint, praesentes expellunt, priusquam grandiores facti molesti esse coeperint.

Neque semper facile est discernere calculum a morbo, ut si fuerit, eodem ejus certo designa... Tumida prostatae scirrhosa adeo similis est calculi, ut nonnunquam summi judicii viros et in arte sua exercitatissimos, post omnigenas inquisitiones diligenter factas, inter se dissensisse de natura morbi, quum hi prostatae scirrhum, illi calculum vesicae esse judicabant. Etenim calculus sic latere potest in vesica, ut eludat catheterem; cujus rei casus plura exempla vidi, tum praecipue in quodam, cujus vesica saepe explorata fuerat a chirurgis peritissimis, et calculus nunquam reperiri potuit; tamen de mortuo extractus est qui pendebat fere duas uncias cum dimidia. Verum quamquam prostata sit in morbo, tumor ejus et durities minores esse possunt, quam ut manu comprehendi et certum de iis judicium ferri possit; praesertim cum prostata perhibetur aliquanto fieri tumidior, quandocunque cervix vesicae calculo saepius vexata fuerit. Scirrho hujus glandulae semper accedit crebra cupiditas urinae; et simul insolita copia muci redditur, qui quidem eo abundantior est, quo pejus aeger habuerit. Ad haec, stranguria quoque et tenesmus sunt. Urina raro fit cruenta ex prostatae scirrho; et si forte cruor aliquis cum urina miscetur, non nisi exiguus est et non augetur equitando. Tum stercora dura cum dolore excernuntur, et testiculi interdum tument; quae signa propria sunt hujus scirrhi. Verum nescio an optimum hujus morbi indicium sumatur ex universi corporis perturbatione, quae perquam notabilis est: etenim macies est, et cibi fastidium, et debilitas, et frequens horror, concitantur venae, et morbus indies augetur fere sine remissione. At calculosorum dolores diutius conquiescunt, et absque his esset, valetudo foret integra: qua praecipue nota discernitur calculus ab ulceribus renum, aut vesicae. Urina cruenta sine ullis signis ulceris intus latentis, maxime si motu et exercitatione augeatur, fere semper indicat calculum in urinae viis haerentem. In libris medicorum multae ullae urinae cruentae memo-

[illegible]

rantur inter causas insolitas et lingua ruptum est, et aliis splenium [illegible] plenum duorum [illegible]

tamen huic dolorem aliud unquam nihil contigit videre. Feminae quinquaginta amplius annos natae claviculam dextram herpes occupavit, febrem movens et dolores, qui totum brachium torquebant; herpes et febris diu trahebant; dolor quoque cum cute squamosa multos menses perseverabat, donec brachium resolutum esset, digiti assidue tremerent, atque omni motu voluntario interdum carerent; quae mala post tres annos nondum cessaverunt, et nescio an per totam aetatem forent mansura.

De porrigine.

In porrigine, seu tinea, nascuntur squamulae exiguae, quae pruriunt cum capillorum defluxu. Sensim serpit vitium et tandem totum caput contegit. Interdum altius penetrat in cutem, quam exulcerat et scabie humida foedat. Aetas puerilis opportunior est huic morbo, quam adulta, et pueri magis quam puellae: ex adultis multas vidi feminas, sed paucos viros hac peste occupatos. Morbus est contagiosus, et facillime cum aliis communicatur, qui pectinibus, aut pulvinaribus, aut capitis integumentis iisdem utuntur, quive, ut fit inter pueros, aegrorum capitibus sua admovent. Ubi autem haec omnia caute vitata fuerint, novi pueros una esse et ludere in unis aedibus, absque eo, ut ille, qui porrigine implicitus erat, alios inficeret.

Quaedam corpora istius habitus esse videntur, ut humores acres specie porriginis in caput facile transeant. Aliquando tussis cessavit protinus, ut hoc vitium caput occupaverit; quo etiam decedente, morbus in pectus iterum inclinatus est, et spiritus creber et difficilis factus. In sexu muliebri porrigo nonnullas infestavit a prima aetate usque ad mortis diem; neque ulla victus aut medendi ratione tolli potuit. Saepe sanatu difficilis est etiam in pueris, qui ex aliis eam contraxerint, quique alioquin integri sint. Ante duos tresve menses raro submovetur; atque in nonnullis post totidem annos vix finitus est.

Principio caput radendum est, et unguento picis superimposito vesica suilla contegendum. Hoc medicamento porrigo intra duos vel tres menses saepe fugatur. Quodsi squamulae denuo renascuntur, utile

erit caput mane et vespere lavare aqua, in qua helleborus albus decoctus est, donec nullae amplius conspiciantur. Ubi malum altius penetraverit cutemque exulceraverit, tum oportebit alutae illinere et superinjicere unguentum calcis hydrargyri albae; idque tamdiu admovere, donec ulcus ad sanitatem fuerit perductum. In corpore sano vix opus est medicamentis intus datis, ubi constat pruriginem recenti contagione contractam esse.

De scabie.

In psora, vel scabie, nascuntur pustulae exiguae aqua plenae; licet interdum majusculae sint cum fundamento rubro et pure impleantur, fere tamquam variolae. Species utraque cum molestissima prurigine fit; tum praecipue occupat manus et articulos; interdum corpus fere universum obsidet, praeter faciem, quae nunquam, vel certe rarissime, nullis scabiei indiciis maculatur. Contactu hic morbus facillime contrahitur. Quaedam est etiam ejus species, quae quamquam in ipso corpore non genita sit, sed aliunde advecta, quamquam et consuetis remediis primo sanata fuerit, tamen non cessat redire semel vel bis quotannis; atqui alios tunc non inficit, ne quidem ejusdem cubilis consortes; et nescio an ullis medicamentis citius fugari possit, quam per se fuisset finita.

Scabies dicitur oriri ex vermiculis, acaros vocant, qui sub cute agunt cuniculos, unde fiunt prurigo et vesiculae. Hos equidem vermiculos nunquam vidi; sed ut revera subeunt, a viris fide dignis accepi, qui eos se vidisse testati sunt. Nescio tamen unde fieri potuit, ut accuratus ille explicator naturae, JOHANNES CANTONUS, sedulo, sed frustra, illos quaesiverit; quod ab ipso audivi: et memini me idem audivisse ab HENRICO BAKERO, qui in usu microscopii excelluit, et librum de eo conscripsit, qui in omnium manibus est.

In quibusdam regionibus scabies existimatur salutaris esse, et proinde aegros sanari non debere. Quod quidem adeo ridiculum est, ut vix mentione, nedum confutatione dignum sit. Hanc tamen sententiam aeque vanam esse censeo, ac illam, quam multi viri graves tuentur, de salubritate podagrae. Inter

remedia hujus morbi principem locum tenet sulphur, quod specificam, quam ajunt, seu propriam quandam facultatem habet illi medendi. Hoc semper tutum est, et nunquam nimis cito adhiberi potest; itaque omnibus aliis est anteferendum. Sed illud odiosum est, quod odor malus et foeditas hujus medicamenti delicatioribus et fastidiosis offensae esse solent. Unguentum sulphuris lenis affectis inunctum quotidie, morbum hunc plerumque tollit intra decem dies. Idem unguentum pedibus solis illitum, aut etiam sulphur indusio aspersum, eodem valere feruntur.

Argentum vivum videtur privatim efficax esse contra hoc vitium. Etenim si cum ovi albo aut quolibet succo glutinoso conteratur, deinde zonae laneae illinatur et corpori circumdetur, saepe morbum solvit. Tamen mirum videtur unde evenerit, ut in morbis venereis, postquam corpus sesquimensem inunctum fuerit unguento hydrargyri, scabies interdum maneat invicta. Dubium quidem est, medicamenta ex hoc metallo laboriosius composita propria quadam vi fiant antipsorica, an tantum ratione naturae suae acris et exedentis, quae haec, non secus ac alia ulcera impura, sordidas et semimortuas partes consumendo, sanationi apta reddat. Horum pulcherrimum est, quod habet hydrargyri muriati drachmam unam vel duas ex aquae purae libra; quo partes scabiosae saepius madefieri debent. Unguentum calcis hydrargyri albae tutum quoque est neque inelegans, et singulis noctibus illinendum est. Nonnulli, qui languore animorum et doloribus ventris et vagis conflictati sunt, postquam per haec medicamenta scabiem depulissent, culpam omnem in argentum vivum contulerunt. Cum vero perpauci eorum, qui hac medendi ratione usi sunt, in similia mala inciderint; cumque aliis de causis longe plus argenti vivi corpori admotum fuerit impune; jure hoc suspicari languores et dolores ad mercurialia remedia non pertinere.

Radix hellebori albi non infimum locum obtinuit ad sanandam scabiem, cum inodora est et omni vacat periculo, et in plerisque efficax est. Medicamenta ex illa facta adeo acria esse debent, ut levem excitent dolorem, et non moveant inflammationem. Ad hunc finem una pars radicis in pulverem tritae cum unguenti partibus octo miscetur. Hoc autem un-

guentum eodem, quo unguentum sulphuris, modo adhibendum est. Juvat etiam partes affectas bis aut saepius quotidie madefacere aqua, in qua haec radix decocta est.

Morbi contagiosi alii, tamquam variolae et morbilli, hominem semel tantum in vita occupant; alii, velut angina mala et tussis convulsiva, rarissime, interdum tamen bis invadunt; alii corporum tempestatumque habita ratione incidunt, cujusmodi sunt dysenteria, et febris castrensis, et pestis. Scabies autem et lues venerea numquam ita desinunt, ut non toties redire possint, quoties contagionis occasiones novae nascantur. Bene itaque factum est, quod ex tribus illis specificis remediis, quae nobis divina bonitate tributa sunt, duo fuerint horum morborum propria. Quod nisi ita esset, morbi profecto turpes, in dies serpentes, tandem universum genus humanum implicuissent.

CAP. XXIV.

De destillatione.

Necessarium est os et fauces et nares atque oculos assidue madere; quapropter humor manat de quibusdam glandulis et membranis; qui si modum naturalem excedat, dicitur destillatio, gravedo, vel catarrhus. Hoc profluvium potest oriri vel ex resolutione et debilitate glandularum, vel ex abundantia nimia humoris, qui hac via commodissime expellitur; vel denique ex pituita tenui atque acri, quae oculos facit debiliores, nares ad assidua sternutamenta irritat, tracheamve ad tussiendum cum raucitate, dum istae partes omnes leniter dolent non sine quadam capitis gravitate. Quamdiu destillatio oculos tantum naresque infestat, sine tussi est: quodsi glandulis, quae in faucibus sunt, insideat, tum non solum tussis erit importuna interdiu, sed tantum humoris noctu destillabit et colligetur, ut aeger excitetur e somno fere strangulatus, nec sine magno certamine spiritus vias expedire valeat; interdumque forsitan vi humoris oppressus, subito extinctus sit. Tamen in quibusdam

qui subinde expergiscuntur animam agentes, et quasi jamjam strangulandi, is affectus ad spasmum quendam aut distensionem nervorum referendus esse videtur, tenuisque illa quam exspuunt pituita, dum mortem instantem propulsare certant, effectus esse potius quam causa mali.

Ubi destillatio paucos tantum dies manet, ad frigus collectum refertur, et fere negligitur. Interdum tamen fit morbus longus, et paucis intermissionibus perseverat, modo aliquot menses, modo annos quatuor; modo redit singulis noctibus per decennium; modo bis in mense per multos annos. Quinque aegris contigit graviter laborare hoc morbo per mensem omni aestate: alium totam aestatem afflixit quotannis: alius nunquam nisi aestate ab eo liber fuit. Medis gravi-ditatis interdum accessit destillatio, et exinde in una femina perseveravit quatuor annos. Menstruis inordinatis, inter alias valetudinis perturbationes, subsecutum est immodicum salivae profluvium; quod etiam mulieres hystericae expertae sunt in duos tresve menses, perinde ac si vivo argento delibutae fuissent. Anginam malam interdum excepit importuna spuendi necessitas, quae aegrum diu fatigavit. Glandulas, quae salivam excernunt, argentum vivum, ut vulgo notum est, privatim sollicitat, et profluvium earum in immensum auget. Accidit igitur quibusdam, qui hoc medicamento modice tantum usi sunt, in menses aliquot sputis molestissimis vexari; interdum etiam ultra triennium. Hydrargyrus cum sulphure similem habuit exitum, et semel, postquam sumtus fuerat quadraginta dies, salivae cursum excitavit, qui non nisi triennio post supprimi posset. Mulieres haud paucas novi, quae sumtis medicamentis mercurialibus hoc modo afflictae sunt, sed neminem marem sic laborasse memini.

Ex hoc tanto pituitae profluvio corpus atque vires interdum minuuntur; interdum constiterunt, licet id diutius permanserit. Gravitas et dolor capitis toties levantur destillatione copiosa, ut dubium sit, morbus an remedium dicatur: et proinde an temere et vi supprimi debeat. Morbus, in quo pondus et levis dolor capitis est, cum febre, et tenuis pituitae destillatione, interdum fit frequentissimus; unde aegri admodum languent, et pauci quidem [illegible]

brem lentam, et sudores nocturnos, et fastidium, et ulcera pulmonum, et tabem, quae biennio vel triennio interfecerunt.

Destillatio, quae diu infesta fuerat, anno aetatis septuagesimo sponte sua finita est. Interdum paralysi supervenienti cessit. Saepius desiit in asthma. Medicamenta reprimentia parum profecerunt. Cursus humoris extrinsecus, intrinsecus, ab auribus, minuit destillationes, sive casu ortus, seu per emplastrum cantharidis ex locis vicinis elicitus sit. Pilulae, quas catarrhales vocant, ex opio atque aloë compositae, saepe quidem avertunt hos molestissimos humores, inflammationemque leniunt. Ubi os dolet, mucilago seminum cydonii mali jucunda est et juvat. Adversus glandulas resolutas aqua gargarizandum est, in qua cortex quercus decoctus est cum exigua parte aluminis. Podagra supervenit sine profectu. Unus et alter, cum aliis de causis sumerent drachmam corticis peruviani quotidie per multos menses, interea liberati sunt gravedine et destillationibus, quibus majorem in modum vixerant obnoxii.

CAP. XXV.

De devorandi difficultate.

Facultas devorandi variis de causis modo debilitatur, modo prorsus amittitur. In hysterici morbi impetu saepe fit, ut nihil quicquam fauces intrare possit. Difficultas quoque cibum aut potionem capiendi in nonnullis feminis semper secuta est graviditatem. Malum aliud est, in quo inter edendum fauces repente occludantur, et nihil transmittere possint, donec post ingentes conatus, qui multum pituitae, cibi vero comesti nihil expellunt, brevi ad pristinum statum reversi sint. Hujusmodi spasmus nonnullos saepe infestat; nullum tamen certum circuitum habet; sed modo redit post decem dies, modo ter quaterve in anno per multos annos. Musculi quoque ejus partis interdum paralytice resolvuntur, et devorare nequeunt. Omnium vero periculosissima est ista faucium angustia, quae initium habet e tumore glandularum

strumosae, qui in nulla parte oesophagi non potest oriri. Is tumor in dies auctus tandem penitus intercludit viam ad ventriculum; aut aliquando spiritum in pulmones attrahi prohibet.

Vitia modo memorata viam per fauces omnibus rebus pariter impediunt. Alia autem sunt, quae non omnes, sed paucas tantummodo res excludunt. Nonnulli facile devorant omnigenos cibos praeter carnem: alii potionem, non autem cibum, assumere possunt; et, quod magis mirum est, in aliis facilis et aperta via cibis est, dum potiones aegre descendunt.

Contigit mihi identidem videre mala praedicta, nullum tamen proprium eorum remedium invenire potui. Nihil visum est praestabilius, quam istam medendi viam insistere, quae maxime conveniret morbis, ad quos singula proxime accedant. Omnibus nota est utilitas eorum, quae in alvum infusa nutriunt; quorum beneficio vires et vita ad tempus sustineri possunt, donec quaedam ex his malis vel recesserint, vel sanata sint.

Puella annos duos et dimidium nata devoravit numos duos aereos, quorum alter pollicis latitudinem excedebat, alter erat paulo minor. Male se habuit puella septem dies, et difficulter sumsit cibos; quippe fauces, ut credibile est, dolebant a vi facta, dum numi p · eas eluctarentur; deinde autem bene valuit. Olei ricini saepe datum est; et numi vigesimo nono die a quo devorati erant, cum stercore dejecti sunt, neque fuerunt omnino exesi aut rubiginosi.

CAP. XXVI.

De diabete.

Diabetes est morbus paulo rarior; quamobrem historia ejus in libris medicorum manca est et obscurior. Neque quod in aliis desideratur, e propria experientia, ut vellem, haurire potui. Vix mihi oblata est occasio videndi aegros viginti, quorum morbus appellatus fuit diabetes; et interdum parum recte ad hunc titulum relatus est. In febribus mortiferis semel atque iterum vidi urinam frequentissime et copiosissime reddi, cum siti insedabili. At plerumque

hoc urinae profluvium tale est, ut omnino in morbis longis numerandum sit. Primum ejus indicium est sitis insolita, cum lingua aspera et sordibus tecta, et in ore gustu malo; tum cibi cupiditas perit, arteriae concitantur, vires et corpus amittuntur, et calor urens cutis est sine levissimo sudore: postremo urina super potionum modum mingitur et saporis mellei est.

In hominibus sanis urina solet quinta parte minor esse, quàm potiones: nec tamen raro fit, ut in diem unum multo parciori copia reddatur; interdum per idem spatium super potionum modum mingitur, et simul fit diluta ac tenuis, colore sapore et odore fere omni expers. Urinam in diabete omnes norunt esse plerumque saporis mellei; tamen in nonnullis, qui vero diabete laborabant, urina mihi visa est potius fatua et gustu omni destituta, propter abundantiam potionum, quibus se ingurgitaverant. Novi urinam in diabete bis modum potionum implevisse. Hic morbus modo gravior, modo levior, in tres annos et amplius perseveravit; et denuo reversus est postquam finiri prorsus visus esset.

Profluvium urinae diabeti nomen dedit; atque in illo natura ejus contineri existimatur: nescio vero sitisne sit maxima morbi pars. Tamen neque glandulas salivales, neque renes in culpa esse crediderim: verum ambo haec signa oriri ex totius corporis perturbatione a gravi quodam malo profecta, eoque in diversis hominibus fortasse diverso [1]. Seniores et infirmiores praecipue opportuni sunt huic affectui; quibus profecto aetas, aut morbus vires adeo attrivit laesitque, ut mors brevi subsecutura sit, nimiamne, an vix ullam urinam aegri reddant. Qui enim morbus aliquantisper dubius fuerit, potest tandem re levicula impelli, ut sub specie diabetis, potius quam hydropis, aliusve affectus, hominem tollat: neque porro si is posset sanari, continuo aeger convalesceret.

[1] Juvenis, qui vero diabete jam annum laboraverat, febre acuta correptus periit. Cadaver, cum diligentissime lustratum est, nihil fere contra naturam exhibuit. Renes erant sanguine vix coacto paulo pleniusculi, et vesicula fellis prorsus vacua. (Addita est haec notula a *G. Heberdeno Guilielmi* filio).

Quodsi diabetes non fuerit renum vitium, sed indicium potius morbi haerentis in parte aliqua ad vitam necessaria, praesidium petendum erit ab illis medicamentis, quae morbo principi medentur, quo sublato ipse finietur. Quamobrem parum opis esse putaverim in alumine, aut cortice peruviano, aut acido vitriolico, aut aqua Bristolica, aut aqua calcis, aut vomitu frequenti, aut omnino aliis quibusvis remediis, quae habent facultatem firmandi renes, quibus robur suum deficere existimatur.

CAP. XXVII.

De diarrhoea, sive alvo fusa.

Alvus fusa oritur e variis causis, quarum pleraeque vacant periculo et promte submoventur. Interdum inducitur ab illa corporis facultate, quae ubique praesto est, et quicquid nocet conatur expellere. Non solum cibi et potiones natura sua vel copia peccantes et ventriculum gravantes per alvum emittuntur; sed multis quoque aliarum partium vel totius corporis malis, qualia sunt initia febrium et pestilentiarum, in intestina versis, periculo corpus subtrahitur.

His perpensis, utiliter praeceperunt medici cavendum esse a coërcenda alvo, quae recenter ac sua sponte fluxerit; et saepe praestare ut manus demus naturae, et medicamentis quoque dejectiones moliamur. Igitur radix rhabarbari meritas laudes obtinuit in hoc morbo. Loco autem rhabarbari non raro dedi salis purgantis drachmas duas vel tres, qui mihi visus est non minus profuisse quam rhabarbarum, et interdum fuisse utilior; quippe ocyus et efficacius humores nocentes expellit, et minorem nauseam movet. Vomitus convenit, ubi nausea molesta est; quae si nulla sit, is erit supervacuus.

Postquam alvus rite purgata fuit, quamquam nihil quod nocuerat restet, intestina tamen infirma saepe manent, unde fiunt inflationes, cruditas, ardor atque acor ventriculi, metusque morbi reversuri. Creta atque pulvis e testis piscium emendant quidem acorem: sed in his parum auxilii est ad alvum firman-

dam, ubi morbus est paulo gravior, et remedia postulat. Longe efficaciora sunt nux moschata, cortex cinnamomi, cortex granati et alia hujusmodi; neque vero haec semper satis sunt, nisi misceantur cum gummi arabico, amylo aut opio, quibus intestina commotiora deliniantur. Medicamentum, quod habet testarum ostrearum semidrachmam, corticis granati grana quindecim, nucis moschatae semiscrupulum et tincturae opii guttas tres, e potione qualibet sumtum semel aut bis quotidie, multum prodest adversus longas et inveteratas dejectiones; sed in recentiore ac vehementi morbo illud sexta quaque hora dare oportebit. Ad haec, multum juvabit tinctura opii potioni cuilibet instillata sic, ut sumantur guttae tres vel quatuor post singulas dejectiones liquidas. Tincturae etiam opii guttae viginti aut quadraginta, ex aquae, in qua semen cydonii mali vel amylum decoctum est, unciis quinque, in alvum utiliter infunduntur. Gummi quoque arabici uncia dissoluta in aqua vel pura, vel adjecto lacte, utiliter hauritur quotidie. Postremo, adipis ovilli cochlearium e lactis calefacti unciis quatuor liquatum, bis in die epotum proficit et ad sanandum et ad nutriendum aegrum.

Ratio medendi, quam proposui, saepe quidem respondet, ubi morbus sanabilis est et ubi omnino opus est medicamentis. Alvus autem fusa interdum inveteravit, et multos annos omni vacavit periculo, nec non levissimis e causis subinde reversa est per hominis aetatem. Cuidam alvus fluxit vigesies quotidie per tres menses, valetudine secunda. In hujusmodi casu difficile est et vix expetendum, tollere hoc incommodum potius quam morbum, cum interdum vim habeat insignem tuendae sanitatis. Quamdiu nec cupiditas cibi, nec corpus, neque robur amittuntur, ibi cunctatio et remedia pauca et mitiora rem aegri tutissime restituent. Quodsi accesserit cibi fastidium et macies, alvus sine mora comprimi debet.

Inter varias ventris fusi causas quaedam, sed paucissimae, morte sola terminantur, postquam vicerint omnigena remedia, quae vel medici vel circulatores proposuerint, ut fit in morbis, ubi revera medicinae locus non est. In quibusdam ex his aegris glan-

dulae mesenterii et intestinorum in scirrhos induruerunt. In aliis anatomici expertissimi viscera abdominis omnia diligentissime rimati sunt, et nullum morbi vestigium potuerunt deprehendere. Quidam in hoc casu praesidium petunt a navigatione et ab aqua Bathonica, quae spem meam toties fefellerunt, ut in iis parum auxilii esse putaverim, aliasque sanitatis recuperandae causas subfuisse, ubi aeger his restitui visus est.

CAP. XXVIII.

De nodis digitorum.

Nunquam rite intellexi naturam tumorum, qui interdum nascuntur, ad pisi magnitudinem, prope tertium digitorum articulum. Nihil certe illis commune est cum arthritide; quoniam in multis reperiuntur, quibus morbus ille est incognitus. Per hominis aetatem manent; vacant omni dolore, neque spectant ad exulcerationem. Proinde deformitas major est quam incommodum: quamquam motus digitorum aliquantulum impeditur.

CAP. XXIX.

De dolore.

Dolor plurimis quidem morbis accedit, tum interdum ipse per se morbus est; nomenque habet modo ex certo circuitu, quem servat; modo ex corporis parte, quam occupat, velut hemicrania, lumbago, sciatica, et capitis dolor. Ceterae quoque partes omnes, quae sentiunt, dolori sunt obnoxiae; cum vero is neque frequens, neque vehemens esse consuevit, proprium vocabulum non habet. Rarius quidem fit, tamen interdum corpus universum in dolore vidi et acerbo et longo, sine tumore aut inflammatione, aut cutis colore mutato. Isque in uno loco permansit modo aliquot menses, modo annum, modo annos decem, quindecim, sedecim, septendecim, denique quatuor et viginti, et etiam triginta.

Dolores longi plerumque leviores sunt: verumtamen nonnulli, qui per annos aliquot perseverarunt, identidem in tantum saevierunt, ut aegre tolerari possent. Sexus uterque illis opportunus est, feminae tamen magis quam viri, tum maxime juniores, et infirmiores, et praegnantes. Pectus et hypochondria praecipue invadunt hujusmodi mala: et quamquam interdum parte corporis aliqua interius corrupta nascantur, interdum tamen reperiuntur, ubi pulmones, hepar atque alia viscera extra omnem culpae suspicionem sunt. In plerisque his aegris nulla certa doloris causa investigari potuit; in aliis ortus est a terrore et moerore, et manifeste revocatus fuit auctusque a qualibet mentis perturbatione.

Saepe quidem parum aut nihil praesidii fuit in lavatione frigida, fomentis, linimentis sine tinctura opii vel cum illa, emplastris calefacientibus aut exedentibus, cucurbitulis, vomitu, purgantibus, et quae movent sudores; setacea quoque et abscessus voluntarius prope partem affectam perinde supervacua fuerunt; item aquae Bathonicae et navigatio marina. Credibile est sedem hujus affectus haud magnopere laedi, siquidem tamdiu perseveret malum sine decoloratione cutis et sine tumore: tamen ubi emplastrum cantharidis superimpositum fuerat, semel atque iterum secuti sunt furunculi mali, et metus gangraenae: quamobrem corpus nequaquam sanum fuisse censeo; licet, excepto dolore, nulla alia morbi indicia fuerint. Ex iis, quae extrinsecus adhibentur, saepius fefellerunt emplastra vel cantharidis vel cymini, et lavatio frigida. Tincturae opii guttae decem vel plures intus datae aliquoties profecerunt ad sanitatem; et cum hac quidam miscent lactis ammoniaci cochlearium, vel quartam partem grani antimonii tartarisati. Succus cicutae nonnunquam visus est doloris impetum minuere; atque interdum profuerunt cucurbitulae. Omnis alia sanguinis detractio, ut et vomitus et purgatio alvi, est aliena.

Praeter illos dolores, qui vel assidue urgent vel incertis temporibus redeunt, alii sunt, quorum accessiones haud minus certum circuitum habent, quam febres tertianae aut quartanae. Tales novi infestare intestina, ventriculum, pectus, lumbos, brachia et coxas; hi tamen sunt rariores. Caput autem et fa-

cies saepe affliguntur dolore, qui ex certis intervallis revertitur; et non minimum est ex iis malis, quibus vita humana opportuna est. De hoc vero a me supra praeceptum est [1].

CAP. XXX.

De doloribus vagis.

Dolores vagi cognati sunt rheumatismo; a quo tamen discerni possunt, quia neque tumor est, neque color cutis mutatur. Illos maxime affligunt, quos debilitaverunt morbi diuturni, ingentes sanguinis profusiones, injuriae, duri labores, vel senectus. Diu permanere solent, et in annos fiunt paulo molestiores. In perpaucis movendi facultas, indies minor, tandem prorsus amittitur. Balneum et vestis tepidior interdum juvant; medicinae vix locus est.

CAP. XXXI.

De dysenteria.

Dysenteria saevit in castris, raro autem illos infestat, qui loca salubria incolunt; licet hos quoque epidemia facta interdum invadat, tum maxime juniores, vetulas, et homines infirmiores, inter quos strages magnas edit. Signa hujus pestis sunt desidendi frequens cupiditas cum dolore gravi, dejectio autem crebra exigui muci inodori subcruenti, et interdum sanguinis, sine allevamento, et dolor infra umbilicum, quibus accedunt febris, cibi fastidium, vigilia, et in nonnullis vomitus.

Quandoquidem hic morbus ex aëre castrorum impuro nascitur, et contagione cum aliis communicatur (raro tamen duos in unis aedibus hoc morbo aegrotantes vidi): munditia atque aër purus maximi erunt et ad aegrum restituendum, et ad tuendam sanitatem

[1] Cap. 18.

assistentium. Ratio medendi, quam didiceram, saepe profecto fefellerat spem meam leniendi dolores, et impediendi, ne in gangraenam intestinorum mortiferam desinerent. Cogitanti itaque mihi de natura dysenteriae, visa est contineri in humoribus vitiosis inclinatis in intestina, quae inde vehementer perturbata sunt et in motus inordinatos conjecta, sic ut intus laedentia exitum non habeant. Cum vero nullum medicamentum alvum promtius solvat quam sales purgantes (quorum praecipuus est magnesia vitriolata), cum quoque facultatem habeant aliquam componendi motus intestinorum perturbatos, cum rarissime nauseam et vomitum moveant: sperabam fore, ut non contemnendam opem praeberent. Primum itaque dedi magnesiae vitriolatae drachmam sexta quaque hora, qui brevi levabat dolores, etiam priusquam alvus purgata est. Aliis majorem modum imperavi, ex quo non solum fructus praesens perceptus est, verum, dejectionibus copiosis excitatis, ipsa morbi causa sublata est.

Postquam vis morbi transierit, aeger quamquam in tuto sit, tamen vexari solet molesta desidendi cupiditate, propter levem dolorem, qui in recto intestino manet. Huic optime medetur jusculi ovilli pinguis selibra, cui instillatae sunt tincturae opii guttae viginti, in alvum infusa: atque hac sola occasione censeo opium in hoc morbo tuto et utiliter dari posse. In principio certe, ventre nondum purgato, maxime noceret. Singultus accessit et aqua foetida dejecta est, ubi dysenteria morte finita est.

CAP. XXXII.

De ebriosorum malis.

Ebriosi solent tandem pati fastidia, vomitus matutinos, inflationes, maciem, debilitatem, tremores, dolores ventriculi, icterum, hydropem, memoriae et attentionis defectionem, vertiginem, alvum fusam, somnosque breves et tumultuosos.

Remedia tempestive adhibita, et vita dein sobrie continenterque acta, plurimum valent ad salutem

ebriosorum restituendam. In plerisque morbis optabilius est, ut extrinsecus, quam intus nascantur. Cum tamen intemperantiae maxime se dedunt, qui viribus plurimum praestant; illis salus quoque multo facilior est, propter firmam corporis constitutionem, cui nimium confidentes in hoc vitium inciderunt.

Aqua Bathonica praecipue efficax est in medendis ebrietatis malis; modo prius assumatur, quam jecur et ventriculus altius vitium contraxerint. Neque enim nascenti morbo tantummodo occurrit, sed magnam quoque vim habet ad penitus submovendam istam valetudinem, nam amicissima est stomacho, quem tepore suo benigno fovet recreatque, tollens omnem illum frigoris sensum et angorem, qui imperiosissime cogunt ebriosum ad potiones meraciores confugere, ut ad breve saltem tempus sopiantur lenia quidem illa, sed intolerabilia tormenta. Prosunt etiam medicamenta modice calefacientia, quae alvum tardam, ubi opus est, solvant; et amara, quae stomacho infirmo robur atque cibi cupiditatem concilient.

CAP. XXXIII.

De epilepsia.

Epilepsia, pari jure ac arthritis, opprobrium medicorum dici potest: nam ante tempora Hippocratis nota est, et tamen certam medendi rationem nondum recepit. Ingens numerus remediorum ad epilepsiam, quae in libris medicorum inveniuntur, et in omnium ore sunt, suspicionem morbi insanabilis movere debet. Quam difficulter removeatur, sive prudentibus consiliis eorum, qui famam suam amittere timent, seu temerariis ausis aliorum, qui existimationem aliquam obtinere student, manifestum esse puto ex eo, quod perseveravit usque ad mortem in multis, quorum ea fuit fortuna, ut possent, ea vero desperatio et credulitas, ut vellent nihil non experiri. Ratio longe plus fecit quam medicina ad mitigandum hoc herculeum malum; quippe obsoluerunt tandem fabulae illae fictae et commentitiae, quibus opinio hominum hunc morbum praeter omnes cumulaverat; nec diutius timor

et superstitio, praeterquam quas habet ipse calamitates, suas addunt. Jamdudum cessarunt homines epilepsiam ad iram daemonis referre, tantumque illam portentum existimare, ut propterea comitia dissolverentur, et quicquid negotii in manibus esset, continuo omitteretur: neque conjuncti et amici epilepticum jam, ut olim, horrent atque refugiunt, et aegrum gravius affligunt quam vehementissimae morbi ipsius accessiones [1].

Accedente epilepsia, aeger concidit sine sensu, et mox musculi universi motibus inordinatis sine voluntate agitantur, tamquam omnes corporis vires maximo conatu contenderent capitale quoddam periculum propulsare. Hae vehementes nervorum distensiones interdum urinam, stercus aut semen expellunt, et simul ex ore spuma movetur, quae cruenta est, ubi lingua mordetur, quod saepe evenit. Haec miserrima rerum facies spectaculum exhibet omnibus horrorem incutiens, maxime vero amicis et propinquis; licet ipse nihil sentit.

Morbus non paucos invadit sine ullo signo antecedente. Alii venientem praevident et horrent. Sed is horror pensatur spatio, quod conceditur tutandi se periculis, quae aliis impendent, qui improviso corruunt. Non raro accidit, ut initio praesentiantur morbi accessiones, quae postea nec opinantes prosternunt. Signa epilepsiae remotiora sunt jactatio, perturbatio animi, capitis dolor, vertigo aliaeque per-

[1] Veteribus in more positum erat, si quis epilepsia concidisset, ut adstantes despuerent, modo in sinum suum, modo in aegrum; sive ut omen a se averterent, sive ut hujus incantamenti beneficio aeger citius ad se rediret. *Morbus qui sputatur.* Plaut. Captiv. act. III. sc. IV. 18. *Eam morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier.* v. 21. *Multos iste morbus macerat, quibus insputari saluti fuit.* v. 22. *Μαινόμενον τε ἰδὼν, ἢ ἐπίληπτον, φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι.* Theophrast. *Περὶ Δεισιδαιμονίας.* Hinc nonnullis in mentem venit, S. Pauli *spinam in carne*, 2 Cor. XII. 7. et *infirmitatem carnis*, Gal. IV. 13. et *tentationem in carne*, v. 14, fuisse epilepsiam; et, proinde, verbum ἐξεπτύσατε, v. 14, non metaphorice, sed proprie usurpari. Vide Plin. XXVIII. 7. et Theocr. Idyll. 7.

ceptiones molestae, sopor, et ventriculi debilitas; atque haec nonnullos fatigant biduum triduumve, priusquam concidunt. Alia paucas tantum horas accessionem praecedunt; cujus generis sunt levis mentis alienatio, vapor e ventriculo ad caput assurgens (qui etiam nonnullos percellit gustu et odore moschi), dolores intestinorum, torpor in brachiis et manibus, perceptio nescio quae ex artubus extremis sensim per universum corpus diffusa, caligines oculorum, vox balbutiens et inexplanata, aut ex toto suppressa, singultus, dejectiones alvi, vomitus, dolor dorsi, extremarum partium frigus, pituitae profluvium, facies nigrescens, et spirandi difficultas; postremo animae defectio levis, quae modo antecedit justam epilepsiam, modo quasi vicem ejus implet, dum nihil aliud aeger sentit praeter oblivium quoddam et delirium adeo breve, ut fere ad se redeat, priusquam ab adstantibus animadvertatur. Hae sunt accessiones omnium brevissimae. Alias manent haud minus quam horae quadrantem, et interdum tres horas. Memini unum fere exanimem jacuisse per tres dies cum crebris distensionibus, qui tandem resipuit, et restitutus est. Vertigo et maculae nigrae ob oculos volitantes a quibusdam epilepticis vix unquam absunt.

Spatia inter accessiones sunt incertissima. Leviores redierunt saepius eodem die, aliae invadunt semel quotidie, vel quater in mense, vel singulis mensibus, vel bis tantum, aut ter in anno. Epilepsia conquievit tredecim annos, et postea gravior et crebrior reversa est. Intermissiones fuerunt etiam his diuturniores, verum cum istiusmodi minis recividi mali, quae palam facerent, causam ejus non esse sublatam. Finita distensione membrorum, cum aeger jam coeperit se recipere, in somnum incidere consuevit, qui durat horam unam aut plures. Vix licet dubitare quin hic somnus recreet hominem motibus tantis fatigatum; et unum tantummodo vidi, qui se illo laedi putaret ideoque moneret adstantes, ut eum excitarent, quoties eo tempore dormiturus videretur. Constat quidem epilepsiam, perinde ac alios morbos, qui nervorum proprii existimantur, per quietem vires acquirere; et proinde accessiones ejus initio plerumque fiunt noctu, dum membra alto sopore vinciuntur.

Accessiones tantillum nocent quibusdam epilepticis, ut cum ipsi nullius rei conscii fuerint, aegre persuaderi possint se aliquid ejusmodi passos esse. Alii autem postquam resipuerint, experti sunt gravitatem universam et torpores in aliquot horas, vel capitis dolorem, nauseam, vomitum, languorem et sensuum stuporem, sic ut mens et memoria vix prorsus restitutae fuerint post tres dies. Igitur haec singulas accessiones sequuntur. Verum, ubi morbus inveteraverit, labefactat memoriam, aciem ingenii hebetat, corpus universum debilitat, vel arcessit paralysin, aut apoplexiam. Alii cito experiuntur quaedam ex his malis; alii, postquam diu cum morbo conflictati sunt, illaesi supersunt. Itaque nonnullis contigit esse tam felicibus, ut, quamquam epilepsia implicari coeperint, dum pueri essent, et crebris deinde accessionibus vexati sint, ad summa tamen reipublicae munia summosque honores propter eximias ingenii dotes evecti fuerint. Nemo nescit Julium Caesarem, belli pacisque artibus excellentem, fuisse epilepticum.

Uterque sexus atque omnis aetas huic morbo obnoxius est: eo tamen saepius laborat aetas puerilis, et promtius sanatur. Feminae, cum sint viris infirmiores, videri possent etiam epilepsiae opportuniores; quod tamen contra fieri observamus. Quamquam enim pueri et puellae juxta corripiantur, feminae tamen rarius, quam viri in eam incidunt. Distensiones membrorum adeo familiares sunt infantibus ab ipso natali die ad tertium vel quartum annum, ut credibile est eas oriri ex variis levibus causis, quales sunt cruditas, lumbrici, dolores repentini intestinorum et aliarum partium. Proinde semper spes erit, distensiones infantum, ubicunque fiunt, non deberi iisdem obstinatis principiis, quibus adultorum epilepsiae. Multi ante quartum annum subinde hoc modo laborarunt, in quibus nullum mali vestigium postea repertum est. Morbus comitialis plerumque incipit tempore pueritiae, aut adolescentiae; sed nec adulta aetas, neque senectus, prorsus secura est. Nullo enim vitae anno prima ejus accessio non contigit. Novi qui coeperunt esse epileptici quolibet anno inter vigesimum et quinquagesimum: paucos morbus adortus est anno sexagesimo; et unum vidi, qui in eum incidit anno septuagesimo quinto, et deinde sin-

gulis annis concidit, in sex septemve annos, et forsitan usque ad mortem.

Opinio inveteravit in medicorum scholis, eas epilepsias, quae in pueritia nascuntur, saepe finiri circa pubertatem: sed hoc mihi usus nequaquam confirmavit. Equidem hac occasione ne unum sanatum fuisse memini; at plures eo ipso tempore in morbum incidisse. Ubicunque inhaeserit ultra quintum vel sextum annum, ibi diu trahere consuevit, et ad adultam aetatem fere permansit. Quamobrem, si satis considerem, me jam quadraginta amplius annos inter aegros versatum de hac re sententiam ferre posse, crediderim vel ingeniosorum hominum commentum, vel vanas amicorum spes huic opinioni ortum dedisse, potius quam ipsius morbi naturam. Sicut autem nullum est vitae tempus, quo hoc malum non inceperit; ita vix est ullum, quo non desierit[1]. At potest dubitari, secunda valetudo medicinae, an corporis beneficio contigerit; etenim nulla sunt remedia, quae non toties spes nostras fefellerunt, ut incertum sit quantum illis debeatur, ubi visa sunt profuisse.

Epilepsia est ex illis morbis, qui a quibusdam parentibus in posteros suos transferuntur: cum tamen interdum vel sanata fuerit, vel sponte sua reliquerit quos diutius occupaverat, jure sperari potest vim ejus saepe adeo debilitari posse et exhauriri, ut nihil mali supersit, cujus alii fiant heredes. Quod quidem usu venire constat; quoniam plurimi vixerunt ab hoc paterno malo prorsus liberi.

Instante accessione epileptica diligenter providendum est, ut omnes illae vestium partes, quae collum cingunt, quamprimum laxentur; hoc enim interdum adeo tumet, ut strangulationis metus impendeat. Deinde in cubili aeger collocandus est, et observandus ne se devolvat, artusve laedat, dum inordinate jactantur. Quicquid ultra moliuntur adstantes, vel

[1] Nicolaus Leonicenus a cunabulis ipsis ad trigesimum annum morbo comitiali adeo laborabat, ut pertaesus vitae paene sibi manus afferret, sed post trigesimum annum plane eo malo defunctus, omnibus membrorum ac sensuum officiis integer, nulla morbi suspicione ad quartum et nonagesimum annum pervenit. — *Jos. Scal.* ep. 19.

supervacuum erit vel alienum. Hujusmodi sunt potiones in os vi ingerere, sales volatiles acres naribus admovere, tempora fricare, pugnum arcte compressum magno conatu dilatare. Aegris multo adhuc pejus consulunt, qui venam incidunt; quod corporis quidem vires minuat, non autem morbi. Remedia nunquam opportune adhibentur, nisi inter accessiones. Cum vero nulla certa adhuc reperta sunt, quibus multum confidere possimus, praestabit plerumque nihil aliud moliri, nisi ut vires quam maxime integrae et incolumes conserventur. Quodsi vel medicina vel ratio victus id effecerit, ut habitus corporis firmior fiat, sperandum est facultatem illam sui conservatricem valentiorem fore, et epilepsiae causas promtius amoturam esse.

Radix valerianae sylvestris primum locum inter epilepsiae auxilia diu tenuit, et nonnullis prodesse visa est; aliis tamen drachmae quindecim in singulos dies datae fuerunt cum exiguo aut nullo fructu. Podagra superveniens nihil ad sanitatem contulit; neque multum laudare possum emplastra cantharidis, aut alias exulcerationes, neque lavationem frigidam, nec aquas ferreas. Argentum vivum et extrinsecus et intus adhibitum est; quod, si uni aegro aliquantulum opitulabatur, alteri certe erat inutile. Duo epileptici ab omni cibo animali abstinuerunt, et sanati sunt: tertius eadem vivendi ratione incassum usus est. Aquae, in qua radix valerianae decocta est, unciae quinque cum moschi drachma in alvum infusae sunt octava quaque hora per tres dies, et restitutus est epilepticus, qui toto hoc spatio fere exanimis jacuerat, nisi quod subinde convelleretur. In aetate puerili membrorum distensiones saepe fiunt e lumbricis aliisque intestinorum affectibus, quibus proinde medicamenta leniter purgantia auxilio erunt, et causam mali expellent. Alios epilepticos purgare alienum est. In quadam puella accessiones semper secutae sunt alvi solutionem. Vomitus quoque, et sanguinis detractio nocent. Cum epilepsia vires acquirit per somnum, illi nimis indulgere impune non licebit. Diligentissime cavendum est ab omni occasione terroris, qui possit non solum accessiones arcessere, verum ipsum morbum creare. Intemperantia, et praecipue immodicus veneris usus, alit nec non interdum

genuit hunc morbum. Cum vero innumera remedia, quae in libris medicis celebrantur, usu multo fretus magnopere laudare non possum; satius esse puto tacere, et famam eorum aliis tuendam relinquere.

CAP. XXXIV.

De erysipelate.

Rubor subitus cutis cum aliquo tumore, calore et dolore, et interdum cum vesiculis aqua plenis, vocatur erysipelas. Cum his plerumque febris est, cujus signa consueta antecedunt die uno, vel duobus, vel etiam tribus. Erysipelas fere occupat faciem, caput, collum, vel humeros; graves tamen inflammationes aliarum partium exulceratarum, tum maxime crurum, erysipelas quodammodo referunt, atque eo nomine appellantur.

Hoc vitium incipit a macula exigua rubra in aliqua ex iis partibus, quae memoratae sunt, et sensim serpit atque ex alio in alium locum transit. Interdum ea cuti noxa imprimitur, ut brevi fiat ulcus non nisi tarde ad sanationem venturum. E vesiculis praedictis, ubi numero plures fuerint, nascitur, postquam ruptae sint, exulceratio dolens, quae ceratum lene postulat, quo a vestibus defendatur. Praestat autem nihil omnino imponere super loca affecta, nisi exulceratio poposcerit. Febris, quae fere semper accedit, major est quam pro modo inflammationis, et non raro in tantum urget ut mens turbetur; nonnunquam etiam mors consequitur; quam subesse indicabit pallor earum partium, quae antea rubuerunt. Quorundam corpora ita videntur comparata, ut majorem in modum subjiciantur huic morbo, et crebros reditus experiantur. Et sane quicunque illo semel tentatus fuit, eum puto deinceps esse repetenti opportuniorem. Quidam erysipelate semel aut bis quotannis correpti fuerunt per multos annos. Nequaquam securi sunt juvenes et robusti; multo tamen saepius tentantur, qui aetate sunt inclinata, quorumque valetudo coepit conquassari. Erysipelas nunquam, quan-

tum scio, humores supervacuos evocando, ad valetudinem profuit; quin contra illi officit.

Natura hujus morbi videtur esse plerumque maligna, ut medici loquuntur, potius quam inflammatoria: id est, neque postulat neque ferre potest purgationem alvi, aut sanguinis detractionem. Vidi res aegri in pejus ruere, non sine periculo, non solum ex incisa vena, sed etiam e dato medicamento, quod leniter alvum solvit, idque cum morbus jam inclinatus esset. Non tamen negaverim eam interdum inflammationem esse, ut opus sit sanguinem detrahere, quod in hoc casu prospere cedit. Sanguis etiam ultro erumpens e naribus salutaris fuit. In hac, ut in omni alia febre, oportet vigilare, et quicquid mali oriatur, idoneis remediis succurrere. Quodsi nihil ejusmodi acciderit, convenient decocti corticis peruviani unciae binae cum tincturae opii camphoratae guttis triginta, vel tincturae opii guttis duabus, octava vel sexta quaque hora sumendae.

CAP. XXXV.

De essera.

Tumores interdum nascuntur in cute similes eorum, qui fiunt ex urticae contactu, unde apud Anglos nomen habent. Recentiores medici *essere*, vel *esseram* appellarunt; qua voce Arabes designarunt quoddam vitium cutis, et fortasse hoc ipsum, de quo sermo est. Hi tumores interdum duos vel tres pollices longi sunt, tamquam vibices a scutica factae. Prurigo vix patibilis accedit. Repente oriuntur, maxime ubi corpus fricetur aut unguibus leviter scalpatur. Raro perseverant multas horas, plerumque exiguam tantum horae partem. Nulla pars corporis secura est ab hac peste; si qua autem vehementius affecta fuerit, ea tota tumet, ut fit praecipue in facie, brachiis et manibus. Essera alia atque alia cutis loca infestare consuevit in horam unam aut plures, bis terve in die, et interdum fere totum diem, in dies paucos, vel aliquot menses; novi quos male habuerit bien-

nium cum paucis intermissionibus; alios vero septem, aut etiam decem annos vexavit.

Pueri et adulti, mares et feminae, pariter objiciuntur huic morbo; item quibus integer corporis habitus est, non minus quam quorum valetudo infirma aut adversa est. Quidam sani fuerunt vigente hoc affectu; quo recedente, dolore capitis et ventriculi affligi coeperunt. Contra alii malis similibus tum solum occupati sunt, dum essera adesset. Maxima vero pars hominum nihil queruntur praeter molestissimam pruriginem, quae interdum somnos quoque abrumpit, maciemque inducit, et vitam reddit vix vitalem.

Emplastrum cantharidis in quibusdam genuit hunc affectum, in aliis radix valerianae sylvestris intus data. Anni tempestates nullius sunt momenti vel ad levandam, vel ad exasperandam esseram: tantundem valent calor et frigus. Tepor lecti modo auxit, modo cohibuit morbum et pruriginem. Lavatio marina frigida vel calida omni profectu saepissime caruit; et paucos illos falsos esse puto, qui suspicati sunt haec vel utilia fuisse vel perniciosa. Medicamenta ex hydrargyro aut sulphure nihil profecerunt; et radix hellebori albi in pulverem trita, vel aqua in qua ea decocta est, tantummodo id egerunt, ut ad breve tempus mutaverint pruriginem in dolorem. Molestia hujus affectus aliquantulum levata est, postquam cutis illita fuit oleo, vel aceto, vel spiritu vini.

Tumores, qui in hoc morbo nascuntur, nullum humorem intus tenent. Atque hac conditione essera et psora inter se distant; nam in psora pustulae sunt aqua aut pure plenae. Saepe autem fit ut in essera, tumorum apicibus scabendo detritis, subsequatur crusta, quae, nisi ex signo proposito, aegre discernitur a vera psora. Essera non est contagiosa; quod me plurima exempla docuerunt. Semel tantum dubitavi, an vir illam ab uxore contraxisset.

Haud crediderim humores aut habitum corporis vitiari in hoc morbo. Proinde nulla alia opus est medendi ratione, quam quae pruriginem tollat. Verum certum ad hoc remedium adhuc, quantum scio, desideratur.

CAP. XXXVI.

De his, qui cum clamore et terrore expergiscuntur.

Qui conflictantur cum arthritide, paralysi, aut malis hystericis, interdum expergiscuntur maxime perturbati, et quasi territi exclamant. Idem in puerili aetate saepissime contingit, ubi lumbrici, ventris tormina, aut nervorum distensiones vexant. Pueri hoc modo experrecti interdum desipiunt horam integram priusquam ad se redeant.

CAP. XXXVII.

De febre.

Febris, sive languor cum arteriarum pulsu concitato, interdum aliis morbis accedit, quibus sanatis ipsa conquiescit. Ubi nullus alius morbus est praeter febrem, hujus tamen natura varia est, neque eadem ubique medendi ratio convenit. Ad eam rite instituendam oportet intueri aetatem aegri, et corporis habitum, consuetudinemque vivendi, et anni tempestatem, et morbos tum temporis frequentes.

Febres ardentes, quales fiunt ubi peripneumonia pleuritisve est, aut faucium, intestinorum aut aliarum partium inflammatio, raro sanantur sine detractione sanguinis copiosa et repetita. Febres castrenses, et quae harum similes sunt, rarissime postulant aut ferunt venam incidi; sed in initio permagni interest vomendo ventriculum purgare, quod non obscure indicat nausea, quae illo tempore aegrum fatigat. Ad hoc utilis est ipecacuanhae in pulverem tritae scrupulus cum antimonii tartarisati grano uno; unde non solum stomachus vomendo, sed plerumque etiam alvus dejiciendo purgatur, non sine multo febrientis commodo. Hoc medicamento nausea penitus discuti solet, et eodem repetito vix unquam opus est. Saepe etiam principio dolor est in capite molestissimus, ad quem emplastrum cantharidis inter scapulas impositum praesentissimum remedium est. In dolore

faucium, pleuritide et peripneumonia, emplastra quoque cantharidis multum conferent ad inflammationem mitigandam: neque minori praesidio sunt in febribus malis, ubi majorem in modum aegri languent; animos enim addunt, et vires jacentes excitant. Stranguriam, quae ex his interdum oritur, levabunt olei vel aquae unciae sex et tincturae opii guttae viginti in alvum infusae. Si venter profluat, iis remediis comprimendus est, quae capite XXV. supra proposita sunt. Quodsi nimis adstrictus sit, infundenda est aquae libra, in qua liquata est salis purgantis semuncia. Jactatio et vigilia saepe solvuntur fomentis aquae tepidae, capiti vel pedibus admovendis; juvant etiam guttae binae vel tres tincturae opii sexta quaque hora sumtae. Calorem sitimque cohibebunt aqua pura et quaelibet potiones tenues. Languor atque animi jacentes vinum postulant, aut misturae camphoratae cochleare plenum subinde bibendum. Singultus, et leves artuum distensiones agitationesque moscho interdum levantur; quamquam autem moschus aliquantum valuerit ad distensiones compescendas, quamquam et camphora in quibusdam somnum movisse visa sit, multo tamen saepius et haec et ille fuerunt prorsus inutiles. Memini camphorae scrupulum datum esse febrienti sexta quaque hora, et simul moschi tantundem quater etiam in die horis inter priores mediis, neque ventriculum gravabant haec medicamenta, sed nihil profecerunt vel ad tollendas distensiones, vel ad somnum moliendum. Cujuscunque generis febris fuerit, aegri ipsius judicio permittendum est, modo mens constiterit, surgat, an in lecto se contineat.

Remedium febrium continuarum proprium, seu specificum quod ajunt, adhuc, nisi fallor, desideratur; licet id diligenter quaesitum sit, maxime inter ea, quae fiunt ex antimonio. Sed in tanta febrium varietate non verisimile est unum aliquod medicamentum posse reperiri, quod omnibus pariter conveniat. Primis hujus morbi diebus, remedia ex antimonio mitiora, quae vomere faciant et ventrem solvant, summo certe sunt auxilio; nec tamen comperi ea magis prodesse, quam quaevis alia, quae pari vi alvum et stomachum sollicitent. Multis expertis et sagacibus medicis persuasum est antimonium non solum exina-

niendo ventriculum, et principio morbi, sed quovis tempore utile esse, licet nec vomitus, neque dejectiones, neque sudores sequantur. Nimirum in ea sunt opinione, antimonium secreta quadam facultate praeditum esse, qua fit ad febres proprie efficax. Horum itaque judicio tantum tribui, ut antimonii tartarisati granis quatuor in aquae destillatae unciis quatuor dissolutis dederim drachmas duas ex aquae sesquiuncia sexta quaque hora. Pauci ferent majorem modum sine nausea. Quodsi duae etiam drachmae, ut interdum fit, vomitum moveant, commode dividuntur in partes duas, quae interposita semihora sumendae sunt. Hoc equidem medicamentum in multis aegris expertus sum; tamen vis antimonii febrifuga mihi parum comperta est.

Corticem peruvianum dare, nisi absente febre, medici diu metuerunt; sed et urgente febre recentiores saepissime illum dederunt in gangraena atque ad suppurationem benignam promovendam. Unde didicimus suspicionem periculi a cortice, etiam sub ipsa febre adhibito, fuisse non minus vanam, quam multas alias suspiciones, quas majores nostri de utilissimo hoc remedio sparserunt. Itaque copia, quae annis abhinc centum in Angliam advecta est, decies minor, quam quae nunc, erat. Quo autem magis eum cognovimus, eo minus periculi, plus vero auxilii afferre credimus. Quamobrem intra hos paucos annos saepe tentatus est in febribus quoque continuis; ad quas quantum profuerit incertus sum; detrimentum autem inde provenisse nunquam suspicatus fui, ne quidem cum drachma assumta fuerit quarta quaque hora.

In omni febre plurimum interest, ut aër cubiculi sit purissimus. Nam auram salubrem hauriendo maxime recreantur animi; et vereor ne quidam aegroti non tam morbo suo perierint, quam halitibus putribus, quos discuti vetuit praepostera amicorum cura.

Britanni, nescio quibus de causis, summopere metuunt ne aegrotantes frigus colligant: tamquam gravedo, si alteri morbo superveniret, certam necem afferret. Expetendum est profecto, ut aegri nullo novo malo onerentur, et proinde aliqua cura adhibenda est, modo non sit nimis sollicita, ne fiant gravedinosi. Qui autem jam in morbo sunt, non ideo frigori colligendo

magis sunt opportuni, quam sani; neque porro destillatio, si accidat, morbos alios in tam certum periculum praecipitat, ut non saepe expediat ei aegrum objicere, potius quam aditum omnem aëri puro ac salutari intercludere. Cognovi aegrotum, qui erumpentibus variolis delirus factus artus suos corpusque adeo jactabat, ut nullo modo detineri potuerit, quin saepe nudus esset, et frigus quoque colligeret, quod manifestum fecerunt destillatio atque raucitas; tamen, quantum intellexi, hoc adventitium malum neque maturitatem variolarum impediit, nec febrem auxit, neque sanationi omnino obstitit. Nec vero tantummodo utile est, aërem cubiculi saepe renovare, sed etiam vapores putres corrigere, instillato aceto in vas ferreum calefactum, donec exhalatione acida totum cubiculum repleatur.

Urina pallida et diluta infausta est in febribus, nisi ubi aeger potionibus tenuibus immodice indulserit. Optabilius est, ut crassa fiat; quippe tum plerumque morbus coepit inclinari, atque aeger est in bona spe. Quid praeterea ex crebra atque anxia urinae inspectione colligi possit, nescio. Idem fere de stercore dicendum est: nimirum quo magis naturaliter se habet, eo major fiducia erit, ut e morbo aeger assurgat. Qualiscunque ejus conditio fuerit, meo judicio, parum inde colliget medicus, quam medendi rationem vel fugiat vel sequatur.

In febribus longis et periculosis pueri solent tandem obmutescere, et vox per dies aliquot supprimitur, postquam extra omne periculum fuerunt; semper tamen redit, neque omnino triste augurium censendum est. Tuto etiam fit, ut febrientes, tam adulti quam pueri, ad tempus graviter audiant.

Febres adultorum plerumque leves sunt, ubi arteriae moventur non crebrius quam centies in sexagesima horae parte, nisi torpor est. Quodsi centies et vigesies moveantur, morbus non vacabit periculo.

De capite puerorum obstipo ex febre quaedam infra praecipientur, ubi de spasmo loquendum est.

CAP. XXXVIII.

De febre intermittente.

Accessio febris intermittentis raro manet amplius viginti horis, et plerumque brevior est. Horror et frigus, a quibus incipit, perseverant modo semihoram, modo horas duas; tum consequuntur calor et jactatio, quae sudore solvuntur. Sudor vero major erit vel minor, et ocyus vel tardius finietur, prout aeger plus minusve potionis tepidae assumserit, et pro ratione caloris, in quo tenetur. Accessiones sunt vel quotidianae; vel tertianae, scilicet quae alternis diebus redeunt; vel duo dies interponuntur, quae febris appellatur quartana. Intermissiones adhuc longiores interdum fiunt, sed tam raro, ut hujus generis febres nec nomen nec locum in libris medicorum aut adeptae sint aut meruerint.

Praeter consueta febrium signa, alia interdum accedunt; qualia sunt dolores rheumatici, mentis alienatio, pustulae in cute, dolores ventris, defectiones animae, dolor et tumor testiculorum, postremo imbecillitas fere paralytica. Haec omnia mihi usu cognita sunt, et cum febre simul accesserunt decesseruntque, et tandem illa sanata protinus conquieverunt.

Magna quaestio est, seu potius tum erat, cum certum febrium intermittentium remedium nondum repertum esset, tuto sanari possent, necne. Etenim hae febres censebantur esse naturae conatus, quibus latentia morborum semina expellerentur; quae scilicet, si illae praemature sublatae essent, nescio quas tragoedias in corpore excitarent. Medicis magni nominis placuit haec sententia; de qua igitur, cum primum medicinam facerem, dubitare me non sinebat tantorum virorum auctoritas. Sed hanc opinionem indies levavit usus; et jam diu mihi persuasum est febrem intermittentem tuto finiri, quamprimum id fieri potest. Multa autem mala oriri vidi, ubi aegri diutius cunctati sunt accessiones prohibere. Omnes norunt corticem peruvianum esse insigne illud remedium, humano generi munere Dei tributum adversus hunc morbum; et sicubi prima accessio talis fuerit,

ut nullus locus relinquatur dubitationi de natura mali, hoc medicamentum illico dare conveniet sic, ut aeger a secunda securus praestetur. Ubi intercedit spatium ad sumendum sex drachmas hujus corticis, febris vel multum minuetur, vel prorsus conquiescet. Deinde drachma una sumta quater quotidie per decem dies omnem metum recidivae plerumque tollet. Nunquam vero nocuit, et saepe utile fuit, eundem modum bis quotidie sumere per decem alios dies. Qui ad hoc praescriptum cortice utantur, rarissime spe sua frustrabuntur. Quodsi pulverem respuat palatum vel stomachus, aquae, in qua cortex decoctus est, unciae duae idem fere valebunt ac drachma pulveris, et vicem ejus implebunt. Exitus adhuc certior erit, si per aegrum liceat singulis his potionibus adjicere extracti cinchonae scrupulum, vel semidrachmam. Pueri, qui febre intermittente implicantur, vix sustinebunt hujus medicamenti devorare quod satis est ad febrem tollendam. His optime convenient extracti corticis, sacchari, singulorum scrupulus, aquae cochleare, et sesquicochleare lactis. Ubi autem vel in puerili vel in matura aetate stomachus hoc ferre remedium nullo modo potest, utut temperatum novis misturis, tum infundere oportet ex inferioribus partibus decocti cinchonae uncias tres vel quinque, bis quotidie, quibus licebit adjicere pulveris aut extracti aliquid, et paucas insuper guttas tincturae opii, ut eas alvus retineat. Quidam speraverunt hos aegros sanare immittendo pedes per horam aut amplius in aquam, in qua cortex peruvianus decoctus est; quod tamen frustra tentatum vidi. Cortex, quamquam rite sumtus, interdum parum efficax est: quo in casu suspicio erit, ventriculum sordibus onustum vim remedii impedire. Itaque vomere oportet; quo facto febris raro non cedit. Quodsi redire perseveret, confugiendum est ad flores chamaemeli, quorum contritorum scrupulus dandus est loco drachmae cinchonae, et ad idem praescriptum repetendus. Hos flores sic sumtos semel atque iterum profecisse expertus sum. In quibusdam affectibus, qui certum circuitum habuerunt, calami aromatici scrupuli duo interpositis spatiis idoneis repetiti aliquantum juverunt. Tincturae quoque opii guttae viginti instante accessione utiliter sumtae sunt.

Febris quartana sanatu longe difficilior est quam vel quotidiana, vel tertiana; et saepe diu resistit cortici peruviano et quibuslibet aliis medicamentis. Interdum drachmae duae corticis paulo ante accessionem datae, quartanam submoverunt; nec raro tamen fuerunt inutiles.

Multi sibi fingunt nescio quae pericula, si cortex prius sumatur, quam febris ex toto decesserit: cui vano timori consequens est, ut, magno suo detrimento, nimis diu cunctentur hoc uti remedio. Attamen, nisi fallor, cortex vel in media accessione devoratus, non aliter noceret, quam quod ventriculus eo tempore imbecillior posset eum respuere; unde nausea atque vomitu aeger fatigatus ab eodem medicamento postea abhorreret. At febre inclinata, meo judicio, cortex peruvianus nimis cito dari non potest, modo stomachum non gravet.

CAP. XXXIX.

De febre hectica.

Febris hecticae mentio saepe fit in medicorum libris, neque raro etiam in sermone quotidiano: tamen haud facile inveniemus eam adeo certis signis descriptam, ut manifestum sit, quid inter hanc et alias febres intersit, utque omnis de ejus natura dubitatio tollatur. Mihi non alia esse videtur, quam quae dicitur symptomatica, vel inordinate intermittens, vel febris suppurationis. Facie sua saepe proxime accedit ad veram intermittentem; a qua tamen longe diversa est aliamque prorsus curationem postulat, et multo praesentiori periculo objicitur.

In febre intermittente accessiones sunt longiores, tum tria illa tempora horroris, caloris et sudoris accuratius definiuntur, et in decessionibus febris ex toto intermittit. Verum hectica nunquam adeo remittit, quin arteriarum motus concitetur, decem minimum ictibus in sexagesima horae parte superans modum naturalem. Porro hectica raro sui similis est per tres accessiones; verum horror et frigus modo excipiuntur calore, modo sudore sine calore; calor quo-

que interdum invadit sine ullo horrore antecedente; et aeger non raro horret, nullo vel calore, vel sudore subsequente. Brevior itaque est hecticae accessio, non solum quia tria ejus tempora citius plerumque peraguntur, sed etiam quia ex his unum, aut forte duo interdum desiderantur.

Qui hectice aegrotat, oborto sudore parum vel non omnino levari se sentit; saepe vero haud minus perturbatus est et anxius, postquam sudare coeperit, quam dum horrebat aut incalescebat. Sudore finito, febris interdum manet; et vigente febre, frigus atque horror interdum redeunt; quod quidem est certissimum hujus febris signum. Etenim cum pleraeque aliae febres incipiant quidem ab horrore, is tamen redire intra tertiam vel dimidiam horae partem, febre consistente, non consuevit, nisi in hac, de qua sermo est.

Hic morbus interdum tempora sua servat per duas vel tres accessiones non minus accurate quam fieri solet in vulgari quotidiana, vel tertiana; deinde autem fit inconstans, et circuitus perturbatur. Vix memini spatia inter quatuor accessiones eadem fuisse. Hectica modo mitis erit, et fere nulla, in dies duodecim; modo, ubi gravior morbus subest, plures accessiones eodem die venient, adeo ut horror instantis cum sudore decedentis jungatur. Neque insolitum est experiri horrores leviores multos intra paucas horas. Accessiones interdum desinunt in cupiditatem somni.

Nemo nescit urinam in justa intermittente per accessiones dilutam esse, et per decessiones crassam; at in hectica facies urinae est inconstantissima: modo enim pariter erit vel tenuis, vel crassa, adsit febris seu absit; modo erit diluta in decessione, in ipsa febre crassa; interdum, sicut in aliis febribus, tenuis in accessione, in decessione crassa.

Ad malorum cumulum in hectica saepe accedunt dolores rheumaticis non absimiles, qui vel per corpus universum vagantur, vel in una parte permanent; et, quod mireris, pertinax hujusmodi dolor saepe longe abest a morbi ipsius sede, cum qua, ut videtur, nihil habet commune. In quibusdam aegris hi dolores adeo importuni sunt, ut haud minima morbi pars sint, nec nisi opio tolerabiles reddi possint. Quan-

tum adhuc intellexi, praecipue molesti sunt; ubi morbus oritur ex ulcere externo aëri patente, veluti in carcinomate faciei, aut mammae. Illud quoque in hac febre notabile est, quod tumores interdum momento temporis assurgunt in artubus vel reliquo corpore, et paucas horas manent, sine ullo vel dolore, vel duritie, vel coloris mutatione.

Hujusmodi febris illos interdum repente et graviter occupat, quorum valetudo antea satis fuerat commoda; urgetque perinde ac vehemens febris orta ex inflammatione; vitamque aegri in propinquum discrimen brevi adducit. Interjectis deinde paucis diebus remittit, et spes rediturae sanitatis affulget. Quamquam autem tumultus conquieverit et febris haud multa remanserit, morbi tamen reliquiae, gravi intus subsistente malo, nulla arte expugnabiles sunt, donec paulatim valetudinem corrumpant atque interimant. Verum rarius fit, ut ad modum hunc morbus incipiat; multo saepius vires suas initio dissimulat; atque adeo tarde subrepit, ut quos arripuerit sentiant quidem se haud omnino recte valere, tamen ad menses aliquot vix suspicentur gravem morbum subesse; et nihil fere querantur praeter lassitudinem aliquam, et cibi cupiditatem viresque aliquantum minutas. Quae quamquam haud magni interesse videantur, tamen ubi motus arteriarum simul sit dimidio celerior solito, medicus sollicitus esse debet de exitu aegrotationis. Pauci etenim morbi sunt, in quibus plura nos docet arteriarum motus. Sed in hoc quoque qui nimis secure illis confidit, nae ille se interdum haud mediocriter delusum sentiet. Uni ex viginti, ut conjicio, licet omnia insanabilis mali signa sint, et vires atque valetudo indies consumantur, arteriae usque ad mortis horam neque celeriter, nec quocunque modo inordinate moventur, sed prorsus ut in optima sanitate.

Suppuratio, in quacunque demum corporis parte oriatur, febrem propositam excitabit, quae tamen majorem in modum propria est glandulae scirrhosae inflammatae, idque ab ipso inflammationis initio: febris vero indies augebitur pro modo inflammationis, aut ulcerationis, aut gangraenae. Ea est glandularum natura, ut hujus generis affectus non solum in multos menses, sed interdum in annos aliquot aegros trahant.

Ubi inflammatio ex scirrho oculis patet, occupatve pulmonem, aut alia viscera quorum cognita officia sunt, causa quidem morbi manifesta erit. Quodsi pars vitiosa sensibus nostris subtrahitur, vel facultatem habet obscuram et ignotam, febris, quae tunc incidit, ab incautis existimatur esse morbus praecipuus vel solus.

Puerperae, propter vim utero et partibus vicinis adhibitam, hac febre fere moriuntur.

Mulieres, quae annum quinquagesimum impleverunt vel excesserunt, huic morbo opportuniores sunt. Etenim, menstruis finitis, scirrhus in glandulis mammarum, ovariorum, aut uteri, facilius nascitur, et saepe in carcinoma desinit. Eodem tempore glandulae quoque omnium viscerum, quae in abdomine sunt, hujus generis vitiis subjectiores esse videntur, et initium adversae valetudinis faciunt.

Similes affectus ebriosorum ventres occupant, et aeque perniciosi sunt.

Vulnus levissimum scalpello acuto aut telo quovis factum maximas interdum turbas, et gravissima mala, vel et mortem ipsam excitabit. Siquidem non tantummodo pars laesa tumet doletque; sed varia corporis loca, etiam quae longe absunt a vulnere, vehementer laborant, aut ad suppurationem nonnunquam spectant. Ad haec semper accedit febris inordinate intermittens, quae non prius extinguitur quam omnis tumultus compositus sit. Quod licet plerumque fiat intra breve spatium; interdum tamen hujus generis aegrotatio perseverat in duos tresve menses, aut etiam morte finitur.

Febris haec nunquam minus periculosa est, quam ubi ex suppuratione nascitur, in qua quicquid laesum fuerit, in pus aequale resolvitur, et facilem exitum habet.

Inflammationes glandularum, sive in mammis, seu intus in visceribus, medicamentorum aut corporis beneficio interdum recedunt, quaeque ex iis pendebat febris finitur: multo vero saepius ex inflammatione fit carcinoma et insanabilis gangraena.

Vix fieri potuit, ut febris, quae tot diversas causas habet, neque eadem ubique mala infert, uni medendi rationi semper cederet. Quandoquidem febris hectica ab alio morbo pendet, quicquid hunc levat,

id quoque adversus illam maxime valebit. Ubi a vulnusculo orta est, multum erit praesidii in medicamento, quod habet asam foetidam et opium. In plerisque aliis casibus cura medici praecipua, si non omnis, erit levare quaecunque acciderint mala. Calor nimius refrigerantibus temperandus est; alvus potius tenera, quam adstricta, servanda; somnus inducendus; sudores pestiferi cohibendi; denique opera danda, ut aëre salubri, exercitationibus, cibisque convenientibus, valetudini quam optime consulatur: quibus factis, reliqua spes omnis erit in facultate illa sui conservatrice naturaliter innata omnibus, quae aegros etiam in morbis deploratis haud prorsus desperare sinit. Ubi enim omnia fuerunt signa visceris cujusdam insanabili morbo impediti, atque omnigena remedia frustra tentata sunt, corpore viribusque in tantum afflictis ut vix aliquid spei reliquum esset, tamen nonnulli ex his malis convaluerunt. Nam tumor natus est haud procul, uti conjiciebatur, a morbi sede, licet ad ipsam pervenire non videretur; quo suppurato protinus motus arteriarum conquievit, et cibi cupiditas et corpus et robur in integrum restituta sunt. Quod in his effecit natura, imitari conatus sum, excitato ulcere prope morbi sedem; sed hoc spei quam habueram parum respondit.

Nuper percrebruit opinio inter medicos, ubi incidat gangraena, vel suppuratio non bene procedat, praesens esse remedium in cortice peruviano: et omnes fateantur necesse est, aliud remedium non inventum esse, quod his aegris valentius subveniat. Itaque hic cortex, medico vel suadente vel certe non repugnante, semper fere datur in febribus inordinatis, ubi gangraena aut abscessus est. Et quamvis nullum fuerit ulcus, cum tamen haec febris intermittenti simillima est, aegri et eorum amici non cessant expetere hoc medicamentum; quod medicus quoque suo saepe judicio experiri movetur. Sed aegrotantium et medicorum votis nequaquam par fuit. Nam nihil prorsus adversus hanc febrem proficit, modo nulla fuerit exulceratio. Quinetiam in ipsis grangraenis toties spem nostram destituit, ut dubium sit in istis, qui convaluerunt, sanitasne ad alias potius causas fuerit referenda.

Quamquam non ausim venditare vim corticis pe-

ruviani adversus hujusmodi aegrotationes, tamen nullus dubito, quin tutus sit. Nisi enim alvum fusam forte excitet, nauseamve levem in stomacho infirmiore, ubi major ejus modus datus est, tum praecipue ubi in catapotia dura coactus est, nihil praeterea mali aut hic aut alibi ex illo profectum memini. Idem audivi ex medico sagace EDWARDO HULSE, qui per annos quadraginta plus hujus corticis dederat quam alius quisquam medicus extra Angliam, vel fortasse in Anglia ipsa. Usus indies magis magisque confirmavit hanc sententiam. Cujus rei non leve indicium est, quod per proximos annos decuplo plus corticis consumtum est, quam ante annos centum. Itaque quo magis vires ejus exploratae sunt, eo magis deletae sunt ex hominum mentibus suspiciones istae, quibus hoc magnum remedium immerito infamatum fuerat. Nec tamen ad hunc usque diem desunt medici, maxime quidem extranei, quorum alii initio febris intermittentis, alii toto ejus tempore corticem dare metuunt. Nimirum illis, ut mihi videtur sine justa causa, persuasum est febrem intermittentem esse conatum naturae, quo humores supervacuos et morborum semina expellat; et ubi haec amica febris praepropere sanetur, ibi gravissima mala in viscera inclinatum iri, et hydropem mortemque mox subsecuturum esse. Crediderim hos metus inanes ex istis aegris ortos esse, quorum febrem medicus falso judicasset esse intermittentem, cum revera hectica esset; glandularumque vitia non facta esse ex cortice peruviano, verum ipsam fuisse febris causam.

In morbis longis, qui aliis remediis non cedunt, aegri ad aquas Bathonicas confugere et voluntate sua et amicorum hortatu solent. Verum, ut nihil dicam de incommodis itineris faciendi et in domo aliena vivendi, quibuscum aegroto confligendum est, aquae Bathonicae prorsus alienae sunt in febre hectica, quam semper intendunt, auctis simul aegri malis et morte properata.

CAP. XL.

De fistula in ano.

Scirrhi, ulcera, et fistulae in ano et intestino recto, inferunt tormina, tenesmum, cupiditatem et simul difficultatem urinae, incontinentiam quandam alvi, dejectiones mucosas aut cruentas, et stercora figurae compressae, horrores, testiculorum tumores aut interdum gangraenam, dolores vagos, etiam remotis partibus artuum inhaerentes.

Ulcera intestini recti saepe perperam judicantur esse haemorrhoides, ideoque negliguntur. Ex illis autem, dum inflammantur, dolor longe major est quam ex haemorrhoidibus, et magis intenditur sternuendo vel tussiendo. Sed et postquam suppuratio facta fuit, siquidem ulcus exiguum humorem fundat, non facile discernitur ab haemorrhoidibus, a quibus, etiam ubi nulla est exulceratio, subpurulentus humor consuevit destillare. Ut, quantum fieri potest, error omnis tollatur, ubicunque dolor est vehementior, et purulentum quid emanat, oportebit confugere ad chirurgum, cui, si detegatur vel inflammatio vel ulcus, tota curatio permittenda est; et quo maturius illius auxilium imploratur, eo magis juvabitur aegrotus. Nam remedia idonea tempestive adhibita non sinunt altos fieri sinus, qui vel nunquam postea sanari possint, vel non sine ferro et dolore non mediocri. Ulcus fistulosum in quibusdam permansit insanabile, et pus fudit, tamquam fonticulus, per triginta annos.

Inflammatio et exulceratio intestini recti modo habent initium a malo corporis habitu, atque humoribus acrioribus in hanc partem incumbentibus; modo a levibus injuriis extrinsecus illatis ulcus nascitur, quod neglectum tandem omnes corporis humores corrumpit. Alterutra ex his causis efficere potest, quod saepe videmus, ut cum fistula in ano valetudo conquassata sit ac perdita. Igitur, sanato ulcere, vitium in alias partes verti consuevit, tum praecipue in pulmones; unde fiunt sputa cruenta, spirandi difficultas, et tabes. Quamobrem multi, non sine ratione, praecipiunt ulcusculum aliqua ex parte excitare, protinus

ut fistula desierit, quo detur exitus humoribus vitiosis, sive nati fuerint ab exulceratione intestini, seu ipsi alterius causa fuerint. Interea auxilio erit ista victus ratio, quae tabidis quoque convenit.

CAP. XLI.

De fluore albo.

Profluvium album nullo vitae anno non exercet mulieres a primo usque ad extremam senectutem. Haec tamen infirmitas multo rarior est ante pubertatem.

Humor iste, quamquam plerumque albus, ut vulgo appellatur, et aquae similis; interdum tamen glutinosus est et coloris subflavi; item subviridis, et mali odoris, atque tam acris, ut nisi partes in quas descendit saepe eluantur, levis inflammatio fiat cum prurigine et dolore, cuticula quoque deteratur, et urina reddi nequeat sine sensu pungentis caloris. Ex his, quae dicta sunt, patet opus esse non mediocri cura atque judicio, ut discernatur hic affectus a malo venereo, siquidem mulier illi objecta fuerit. Ubi aliqua, quae antea vixerat libera a profluvio albo, vel id tantum levissime experta erat, postquam consuevit cum viro, continuo coeperit affligi dolore urinae et humoris albi profusione copiosa, tum maxime si coloris flavi fuerit aut viridis, justa erit morbi venerei suspicio. Molestum tamen est, quod mulieres statim post nuptias, si valetudo et habitus corporis sint infirmiores, non raro tententur profluvio quodam albo, ex quo falsae criminationes natae sunt. Itaque summopere cavendum est a praecipiti judicio de natura hujus mali. Ubi color humoris vel albus est, vel leviter flavus, et exiguus vel nullus urinae dolor, non erit locus suspicando morbum venereum subesse, etiamsi nulla fuerit antea hujus generis infirmitas.

Hoc vitium saepe quidem nascitur e crebro vel partu vel abortu. Quaedam illo primum tentatae sunt, dum gravidae essent. Contra uni contigit, dum ventrem ferret, minus eo laborare. Interdum rediit singulis mensibus, et menstruorum vicem implevit; item permansit sine ulla intermissione, quamdiu illa

suppressa erant. Vetulas quoque adortum est, quas menstrua penitus deseruerant. Alias fluor albus et menstrua profusa eodem tempore exercent: debilitas forsitan utriusque causa fuerit. Labor durus, nisus ferendi onera viribus majora, venus immodica, mentis perturbationes, et constitutio corporis infirma, vel strumosa, saepe fecerunt hunc morbum. Sed qualiscunque fuerit ejus origo, simul semper accedit dolor lumborum gravis, qui non minima morbi pars est. Vix fieri potest, quin hujusmodi profluvium vires et valetudinem aliquantum minuat; nescio vero ecquid praeterea detrimenti inferat. Non paucae mulieres cum eo conflictatae sunt totam vitam, neque tamen impeditae sunt ne sanos liberos parerent.

Imbecillitas totius corporis in culpa esse potest, vel tantummodo resolutio glandularum, quae hunc humorem excernunt. Proinde remedio erunt vel quae corpus universum firmant, vel quae glandulas laxatas adstringunt. Profuit pulvis bis quotidie sumtus, qui habet olibani et corticis aurantiorum hispalensium, singulorum grana decem, corticis quercus grana quinque, cui superbibenda est aqua, in qua cortex peruvianus decoctus est. Convenit quoque aquam, in qua cortex quercus decoctus est, mane et vespere infundere in vaginam. Et cum his simul lavatio frigida utilis est. Fatendum autem est, hunc affectum, quamquam praesente periculo vacet, saepe difficillimum esse curatu, ubi aut inveteraverit, aut cum infirmo corporis habitu contigerit. Medicus vero munere suo fungetur, siquidem minuat morbum, qui sanari non potest. In habitu corporis strumoso profluvium saepe videtur oriri non tam e debilitate, quam ex humoribus noxiis hac via exitum sibi molientibus; unde etiam nova nascitur difficultas: nam quae robur corpori addunt, si per se adhibeantur, plus detrimenti ferent quam auxilii. Ubi enim ex harum rerum usu profluvium vel ex toto cohibitum fuerit, vel multum imminutum, aegrae continuo correptae fuerunt doloribus ventriculi et universi corporis languore, quibus profecto magis laesae sunt quam pristino suo malo. His igitur medicamenta adstringentia non conveniunt: at dare oportebit quarto quoque mane vel aquas purgantes, vel salem aliquem purgantem dissolutum in aqua sive pura, seu in qua decoctus est

cortex peruvianus; et cum his tuto et utiliter sumi possunt quae corporis totius vim moliuntur. Aqua Bristolica plurimum celebratur adversus hunc morbum; sed famam ejus usus mihi non confirmavit. Cognovi quibus cerussa acetata data est, et nihil profuit: ut autem maxime profuisset, tamen mala ex hoc metallo nata multo magis sunt metuenda quam ipse morbus.

Dolores cruciantes in utero, coxis, et femoribus cum profluvio cruento et sanioso, qui nascuntur ex ulceratione vel carcinomate uteri, satis distinguunt hos affectus a fluore albo.

CAP. XLII.

De gonorrhoea miti, seu fluore urethrae.

Gonorrhoea mitis in viris similis est profluvio albo feminarum cum natura, tum quoque curatione. Quicquid itaque de altero dictum est, fere aequo jure ad alteram pertinebit. Hujusmodi debilitas multo rarior est in viris quam in feminis; et profecto vix reperitur, nisi ubi initium habuerit ab intemperantia aut morbis veneris. Bis autem terve accidisse memini, ut ictus vehementior exceptus fuerit profluvio copioso et colorato, per omnia referente fluxum urethrae venereum, excepto quod paucis diebus sua sponte finitum sit.

Ad hunc morbum raro vel nunquam medicamenta in urethram infundi debent; quippe horum usum crebriorem, tum praecipue seriorum, multi non injuria suspicati sunt primam dedisse occasionem istis vitiis, sub quibus urinae iter intercluditur sic, ut sine summa difficultate et vix patibili dolore ea reddi non possit. Haec vitia saepe sunt insanabilia, aut etiam mortifera, ubi urina ex toto suppressa sit, vel inciderit gangraena. Quicunque in posterum cavet ab istis causis, a quibus gonorrhoea primum orta est, raro spe sua excidet eam vel sanandi, vel saltem adeo minuendi, ut valetudo nullum inde detrimentum capiat. Multi vero, quibus ingenium est paulo timidius, sine causa se mire excruciant, opinantes hunc

morbum prae ceteris omnibus, nescio quae ingentia mala vel jam intulisse, vel mox illaturum esse. Et nunquam defuerunt homines nefarii, qui metus hos inanes injicere et augere non veriti sint, ut quaestum sibi facerent venditando libros futiles et medicamenta perniciosa.

CAP. XLIII.

De graviditate.

Gravidae multis malis sunt opportunae, quorum pleraque non nisi post partum finiuntur.

Mulieres forsitan promtius concipiunt paulo ante menstruorum cursum, quam alio quovis tempore.

Duo mariti mihi narrarunt uxores suas in venerem fuisse frigidas, omni ejus cupiditate et voluptate carentes; saepe tamen gravidas factas esse, et recte peperisse.

Mulier integrae valetudinis quinto graviditatis mense sensit humorem e papillis destillare, qui non substitit nisi biduo ante partum; dein mammae nihil fuderunt per sex dies; sed die a partu quarto lacte rite distendebantur.

E graviditate plerumque nascuntur nausea atque ardor ventriculi; quorum priorem, postquam multa frustra tentata fuerant, levavit linimentum saponis cum tinctura opii ventri illitum bis quotidie: ardorem autem stomachi sanavit acidum vitriolicum dilutum.

Quaedam, haud suspicata se concepisse, perstitit non solum in frigidam descendere per primos graviditatis menses, sed etiam potare aquam marinam sic, ut alvus bis vel ter quotidie dejiceretur; atque tum primum libera fuit a nausea, qua vehementer fatigari solebat, quoties praegnans fuisset. Succus etiam aurantiorum et limonum, aliorumque fructuum acidorum, profuit adversus hanc nauseam.

Sanguis ex utero manavit quadraginta dies circa sextum mensem, neque mulier abortum fecit. Aliam cognovi, cui per totam graviditatem menstrua fluere justo tempore non desierant usque ad partum; quater autem pepererat.

Mulieres, quae phthisi pulmonis occupantur, promte concipiunt, et dum gravidae sunt, tabes eodem fere statu manet: quamprimum autem pepererint, morbus majores vires sumit, et rapido cursu aegras praecipitat.

Urina difficilis aut suppressa interdum fit ex pondere uteri in urethram incumbentis; cujus catheter est praesens atque unicum remedium. Postquam urina triduum suppressa fuerat, per catheterem quinque librae effusae sunt.

Emplastra cantharidis feminis praegnantibus imposita, quae majorem in modum erant stranguriae obnoxiae, eandem inducendo abortus periculum fecerunt.

CAP. XLIV.

De haemorrhoidibus.

Venae intestini recti interdum distenduntur, aut etiam rumpuntur, et sanguinem fundunt sine dolore, perinde ac venae, quae sunt in naribus. Alias insigniter tument aut foris aut intus, et non rumpuntur, sed vehementer dolent, et dolor manet etiam postquam venae apertae fuerunt et tumor subsidit. Quidam credunt hanc sanguinis profusionem esse salutarem, et proinde, si valentioribus remediis cohibeatur, subsecuturos esse capitis dolorem, vertiginem, angores ventris, atque universam conquassationem; tamquam sanguis ille, qui exitum sibi per venas intestini moliebatur, intus retentus, magni alicujus mali causa fieret, inclinata in viscera materia. Quodsi in sano corpore nihil opus est cursu sanguinis ex his venis, nescio an in aegro rectius dicatur signum, quam remedium, adversae valetudinis.

In nonnullis haemorrhoides non minus levibus de causis sanguinem fundunt quam venae narium, et tuto negligi possunt. Multi sunt viscerum morbi, qui cum moras faciant sanguini, causae esse possunt, cur venae in ima intestinorum parte turgeant et dehiscant. Itaque ad morbos jecoris saepe accedunt haemorrhoides, et brevi quidem auxilio sunt; tamen

nequaquam illis mederi valent. Viscerum autem vitia saepe sunt insanabilia, et ubi haemorrhoides ex illis natae forte suppressae sint, exitus eorum vitiorum inevitabilis istius sanguinis defectioni falso tribuitur.

Quidam censent haemorrhoides profuisse adversus capitis et ventriculi dolores, asthma, vertiginem, atque vitia cutis in facie: rectene an secus judicaverint, haud facile est dictu. Ad errorem certe haec res proclivis est. Quodsi unquam acciderit, ut haemorrhoides essent utiles, hoc tamen tam rarum fuit, ut morbus, cujus incommodum certum est et incerta utilitas, nemini sit expetendus. At salutares sint necne, parvi interest; cum sanguinis profusio raro tanta est, quae vel praesens vel futurum periculum intentet. Attamen novi ex venis ani tantum sanguinis quotidie per mensem effluxisse, ut vix fieri posset, quin corporis robur aliquantum minueretur. Hoc autem rarum est. Ubi fit, auxilio erit aquae, in qua cortex peruvianus decoctus est, selibra quotidie epota; quae quidem, ut mihi videtur, non tam proficit vi quadam adstringendi, quam quia occurrit malis ex immodica sanguinis profusione orituris.

Haemorrhoides utrique sexui pariter sunt infestae. Quidam anno aetatis quinto coeperunt iis laborare: saepius aetas puerilis ab hoc morbo libera est. Mulieres praegnantes, et vetulae, quas menstrua nuper defecerunt, opportuniores sunt haemorrhoidibus. Aliae feminae videntur minus illis vexari, quam viri.

In quibusdam corporis constitutionibus haemorrhoides familiares sunt, et cum brevibus intermissionibus per hominis aetatem manent. Nocet alvus vel dura, vel fusa. Non solum quoties venter exoneratur, sanguis exit; verum humor serosus diu perseveravit sponte sua jugiter effluere. Cruor haemorrhoidalis stercoribus quasi superfunditur, non autem cum illis miscetur. Dolor multum augetur, quoties alvus descendit, nec nisi post horas aliquot se remittit. Ardor urinae, nausea et dolor lumborum fuerunt inter minus consueta haemorrhoidum signa. Plerique in hoc morbo fugiunt aloën, utpote venas ani praeter alia omnia purgantia irritantem; nec prorsus injuria. Tamen hic effectus vulgi opinione ubique minor est; et non raro nullus. Proinde illos spes sua saepe frustrabitur, qui, cum persuasum habeant, hae-

morrhoides esse salutares, student per aloën eas inducere.

Ubicunque haemorrhoides vel dolent, vel sanguinem fundunt, alvus, ut res ipsa loquitur, servanda est paulo tenerior. Quem ad finem flores sulphuris ante omnia utiles esse censentur. Horum grana decem vel quindecim lenissime alvum movent, et praeterea, si vera est fama, dolorem leniunt et sanguinis cursum moderantur. An vero sulphur plus valeat in hoc morbo, quam alia quae leniter purgant, adeo incertum est, ut loco ejus commode dari possit vel electuarii sennae drachma, vel cochlearium olei e seminibus ricini, vel semuncia tincturae sennae, cui adjecta fuerit olei amygdalarum uncia; quorum omnium utilitatem usus quotidianus comprobat.

Dolor ex haemorrhoidibus interdum tantus est, ut praesens auxilium postulet, quod praebet cataplasma panis e lacte subacti cum exiguo modo olei: idem praestant unguenti adipis suillae unciae binae cum totidem scrupulis opii aqua emolliti; hujus unguenti tantillum parti dolenti admovendum est. Nondum satis cognitum habeo, opiumne sic adhibitum eas venas solas sublevet, an potius nervos universos permulceat; quam novimus esse hujus medicamenti facultatem, simul ac ventriculum aut intestina contingat. Dolor e venis turgentibus lenietur vel cessabit, quamprimum per scalpellum vel hirudines exinaniantur. Nonnulli, quos haemorrhoides male habebant, semel et iterum mihi narrarunt, aquae, in qua buxi folia injecta erant, libram mane et vespere epotam maximo fuisse auxilio; quod tamen aliis non imperavi, utpote neque citius nec plenius aegrorum votis responsurum quam remedia, quae supra proposita sunt.

CAP. XLV.

De hernia.

Medicamenta intus data in hoc morbo sunt merae nugae. Unicum remedium est fascia corpori aptata sic, ut intestinum descendere prohibeat.

CAP. XLVI.

De hydrocephalo.

Capita nonnullorum infantum excedunt in nimiam magnitudinem, suturaeque dehiscunt, et membranae cerebri aqua distentae feruntur extra, unde fit tumor mollis eminens supra oras suturarum. Infantes infirmiores huic vitio objiciuntur, quod per mensem integrum quotidie vires acquisivit: at ipsi indies magis stupent torpentque, dum pulsus arteriarum non excedunt septuaginta duos in sexagesima horae parte: sex septemve ultimis morbi diebus potiones vix, aut ne vix, ingeri possunt, vox nulla editur, et exanimes fere aegri jacent, nisi quod interdum artus leviter distendantur.

Inciso infantis cadavere, qui hoc morbo perierat, aquae selibra in ventriculis cerebri reperta est. Nulla alia tentavi remedia praeter purgationes et exulcerationes, quae quidem parum profecerunt.

Hydrocephalus praecipue occupat pueros et puellas a primo ad octavum aetatis annum. Capitis dolores, manus ad caput crebro admotae, clamores subiti, distensio nervorum, stupor, mentis perturbatio, motus venarum lentus, postremo coecitas, justam hujus morbi suspicionem injiciunt, etiamsi capitis moles non fuerit aucta. Neque tamen perpetuum est, ut haec signa ex hydrope cerebri nascantur; etenim vidi ea omnia in puero, cujus cerebrum non nisi consueta humoris copia humectatum erat, teste peritissimo anatomico, qui cadaver inciderat.

Adultus quidam impatibili dolore capitis occupatus est, cupiditas cibi modo summa erat, modo nulla, delirabat, membra distendebantur, stupebat, et brevi extinctus est. Ventriculi cerebri adeo turgebant, ut, scalpello adacto, aqua in notabilem altitudinem exiliret.

CAP. XLVII.

De Hydrophobia.

Testis fui haud mediocris timoris aquae, vel cujusvis liquoris, ultra quam dolor devorandi intulisset,

in aegro, cujus fauces inflammatae erant, et dein suppuratae. Hydrophobiam ex morsu animalis rabiosi nunquam vidi.

CAP. XLVIII.

De hydrope.

Talorum aut crurum tumores, qui mane vel dissipantur, vel multum minuuntur, familiares sunt feminis in coeli temperie calidiore, et in graviditate, et tam viris quam feminis e morbis gravibus aut longis surgentibus; item senioribus, et arthriticis, et iis quorum crura laesa fuerint ictu vel distorsione, vel exulceratione, quaeve ob causam fere quamcunque doluerint. Hujusmodi tumores vel sponte sua finiuntur, vel sine periculo manent; ideoque nihil illis opus est medicina. At ubi longis morbis pulmonum aut abdominis superveniant tumores in cruribus, indicio sunt, grave aliquod malum subesse in pectore aut ventre, et tumores assurrecturos esse in justum hydropem, qui morte plerumque terminatur.

Hydrops non tam ipse morbus est, quam morbi alicujus signum, et plerumque capitalis; ideoque saepissime fit mortis praenuncius. Aqua saepe reperta fuit in thorace: sed haec, dum homo vivit, nulla certa nota, quantum scio, detegi potest. Natura thoracis impedit quo minus tumor aliquis extra appareat; et spirandi difficultas ex hydrope pectoris adeo per omnia similis est illi, quae ex aliis quoque causis nascitur, ut nullum manifestum hujus mali indicium praebeat.

Hydrops ventris, sive ascites, cognoscitur tumore, et aquae fluctuantis sensu, ubi venter altera manu pulsatur, altera premitur: nihil enim hujusmodi exhibet aut graviditas, aut inflatio, aut viscus morbo tumefactum. Neque tamen nullus est errori locus in hac re: vidi enim peritos medicos et chirurgos, huic signo confisos, falsum de tumoris natura fecisse judicium. In ascite aqua saepe continetur in tunica, quam glandula visceris vitiosi suppeditavisset. Ovaria saepe fiunt sedes hydropis in feminis; et morbus in illis per-

severavit plus decennium, cum haud majori incommodo, quam quod ex mole tanta tantoque pondere necessario natum est. Hujus generis hydrops eo fortasse tutior est, quia ovarium non tam ad vitam necessarium est, quam reliqua viscera: in hoc autem aquam conclusam fuisse judicavi, ubi tumor e regione ovarii primum deprehensus est. Humore saepe distenditur ovarium, et, nisi fallor, alia quoque viscera abdominis, sine ullo tumore crurum. Sitis fere insedabilis vexat plerosque ex his aegris, non autem universos. In omni hydrope, ubi aqua in tunica includitur, haud facile dictu est, quo pacto humor ad crura et femora descendat. Ajunt quidem hoc fieri vel per membranam cellularem, vel vi, quam habet corpus, absorbendi humorem ex uno loco et in alium cogendi. In quibusdam nescio an aqua, quae in abdomine est, aliquid habeat commune cum illa, quae artus inferiores distendit. Horum utique tumor oriri potest ex universi corporis debilitate, quam morbus induxerit, atque anasarcam referre, et non derivari ab humore in abdomine collecto.

Ardua res est aquas hydropicas amoliri sive per alvum, sive per urinam sudoremve. Quodsi medicamenta optatum auxilium attulerint, et omnis aqua fuerit effusa; tamen multum supererit agendum, atque aeger in eodem periculo versabitur, nisi morbus, a quo pendebat hydrops, vel natura vel arte sublatus sit. Illud vero admonendi sunt, quotquot purgatione alvi opem ferre his aegris student: eorum vires morbo suo multum fuisse imminutas, ideoque non esse perseverandum in medicamentis valentioribus, nisi manifestum fuerit aegros inde levari, vel saltem non laedi. Ubi hydropicus par sit ferendo tam validum remedium, solitus fui dare elaterii granum unum vel duo, quod commode sumitur e cochleario spiritus vini tenuioris. Hoc, si nullos insolitos tumultus excitet, et venter multum aquae excernat, quarto quoque mane dare oportebit, donec omnis humor supervacuus exierit: at diebus a purgatione liberis medicamentum aliquod amarum et aromaticum erit sumendum. Hac ratione medendi quatuor vel quinque asciticos restitutos novi; e quibus unus vixit sanus quatuordecim annos. Idem fere valet gambogiae semiscrupulus. Quamquam magnitudo hujus morbi ma-

gnum remedium postulet, id tamen saepenumero aegri vires sustinere non possunt: in quo casu confugiendum est ad ea, quae leniùs alvum solvunt, quaeque movent urinam. Ad hoc utilis est scillae radix, cujus tot grana sumenda sunt, quot stomachus sine nausea recipere valet. Aromata jucundiora, vel olea quae vocantur essentialia, vim ejus movendi vomitus cohibebunt, reddentque majorem modum satis tolerabilem. Hujusmodi medicamentum singulis noctibus sumendum est; singulis autem auroris, kali acetati drachma dissoluta in uncia tincturae sennae; vel salis Rupellensis aut kali tartarisati semuncia: omnes hi sales, qui vocantur neutri, quantum adhuc usu didici, urinam pariter movent.

Fieri potest, ut debilitas aegri, vel alvus ejus fusior, locum purgantibus nullum relinquat; et proinde ab iis rebus, quae movent urinam, tota curatio petenda sit. Hanc quidem facultatem non paucis medicamentis tribuerunt medici veteres, eaque posteris suis hoc nomine commendarunt. Fatendum autem est, horum omnium effectus adeo leves esse et incertos, ut quisquis iis multum confidat, spe sua saepe exciderit. In hoc numero sunt balsama acriora, quorum scrupulus bis quotidie sumtus est; item kali praeparati tantundem in aqua aut in vino dissolutum. Hoc pulchrius multo remedium est, quam quod habet cineres herbarum e vino liquatos; quippe eorum vis non continetur in terra fatua, verum in salibus alkalinis, quibus hi cineres abundant, cum aliqua simul portione salium neutrorum, quos multae plantae crematae exhibent. Parem facultatem habere existimantur spiritus aetheris nitrosi et tinctura cantharidis; hujus guttae viginti, illius drachma, ter quotidie adhibentur. Succi etiam e foliis cinarae expressi cochlearium cum vini rhenani cochlearis tribus nonnullorum sermone celebratur.

Ubi haec, et multa alia quae vocantur diuretica, frustra, ut plerumque fit, tentata fuerint, quidam conati sunt aquam educere incisis cruribus, vel super ea impositis emplastris cantharidis: interdum quoque sponte sua vesiculae in cruribus hydropicorum nascuntur. His auxiliis haud exiguam aquae copiam elicitam vidi, morbum autem nunquam sanatum; at brevem moram injecerunt et aliquantulum aegrum leva-

runt. Odiosum est quod haec vulnuscula interdum fiunt ulcera sanatu difficilia, vel periculosa, quamquam bis aut ter quotidie pannis laneis ex aqua calida expressis foveantur. Fomenta quoque utilia sunt ad aquam copiosius evocandam. Non raro quoque oportet aquam ferro emittere; cum venter in tantam molem assurgit, et humore adeo distenditur, ut fere rumpatur, et spiritus vix trahi possit. Licet vero ex hoc foramine omnis aqua exeat, tamen inter quamplurimos, qui sic levati fuerunt, vix unum et alterum memini, quorum morbus non redierit, quive indies labefactatis viribus non extincti sint; quippe, ut antea dictum est, hydrops tantummodo signum est alterius, et plerumque pestiferi morbi.

Quibusdam contigit esse adeo felicibus, ut primo morbo incipiente ire in melius, fons hydropis suppressus sit, et aegri ex valetudine ancipiti assurrexerint. Inter ea etiam, quae raro, et praeter omnium spem, in hoc morbo eveniunt, poni debet incredibilis urinae copia, quae sua sponte repente effusa interdum intra paucas horas tumorem penitus solvit. Nimirum facultas est quaedam incognita in corpore animali insita, quae humorem omnem in ventre conclusum absorpsit, atque in renes vertit. Exitus hujusmodi a natura sola profectus, potest quidem immeritum honorem attulisse remediis, quibuscunque hoc tempore aeger utebatur.

Nonnullos hydropicos cognovi, quos cepit cupido ab omnigena potione abstinendi; quod facere sustinuerunt quadraginta dies aut amplius. Hoc tamen non adeo bene cessit, ut alios hortari possim eandem curandi viam insistere. Quosdam etiam audivi ab omnibus potionibus temperasse per sex menses. Oleum olivae aut seminum ricini mane et vespere frustra illitum est abdomini multorum hydropicorum, propterea quod unus aut alter, qui hoc remedium tentarant, morbo suo, ut ajebant, liberati sunt. Hydropem recessisse ultro in duobus cognovi, quorum alter incidit postea in apoplexiam, alter delirus factus periit.

Asciticus quidam, subito urinae profluvio oborto, omnem supervacuum humorem emisit: at crura non cessabant tumere, et aeger metuebat morbum redituram: in hoc rerum statu factus est apoplecticus, pro-

tinus vero mens rediit; deinde vertigo erat, et creber apoplexiae metus: sed vixit multos menses ab omni crurum aut ventris tumore liber.

Hydrops, qui dicitur anasarca, sive inter cutem, saepe fit vel nulla vel tantum leviore quadam valetudine antecedente; ideoque plerumque sanatur, et ex toto salus sequitur. Quamquae autem haec species ut plurimum vacet periculo, tamen diu trahere consuevit, et interdum non modo per aliquot menses, sed etiam per aliquot annos omnia remedia vicit. Juniores, quique corporis integri sunt, in hunc morbum interdum incidunt; frequens etiam in gravidis est, sed post abortum mox subsidit. Cum hoc simul in quibusdam insolita lacrymarum profusio fuit. Nulla aetas secura est ab hoc malo; feminae vero, saepius quam viri, illo urgentur. Conveniunt quae alvum leniter movent, interpositis medicamentis amaris et aromaticis. Interdum cruribus incisis morbus solutus est. Opium etiam singulis noctibus sumtum, nescio an sudores eliciendo, praesidio fuit.

CAP. XLIX.

De affectu hypochondriaco et hysterico.

Perpauci, seu potius nulli exstiterunt, quibus incognitus est animi languor excrucians, quique non aliquando sine ulla manifesta causa experti sunt eam mentis demissionem, quae nubila et tristitiam omnibus suis laboribus et studiis obducit, spes suas ubique fere in desperationem convertens non sine angore vix tolerabili. Hic animi humani status mihi videtur esse in viris hypochondriacus, in feminis hystericus affectus. Ubi hic levis est, et cito finitur, et alios fugit, haud diu ejus meminit etiam qui eam passus est. Quodsi gravior fiat, et saepe repetat, diuque permaneat, nescio annon jure numeretur in maximis quas vita habet miseriis: neque enim alia magis omnes gaudii fontes supprimit et corrumpit. Pestis haec veluti vigilantis somnium est, in quo homo, quamquam bene valeat, sibi videtur omnium morborum signis urgeri; et quamquam innocens, impletur terrore, tamquam omnium scelerum conscius esset.

Summa ignoratio in qua versamur societatis, quae corpori intercedit cum anima, tum modi, quo haec duo se mutuo afficiunt; tum quoque facultatum in corpore animali naturaliter insitarum, quae longe distant ab iis, quae in rebus inanimis reperiuntur, affert magnam difficultatem in omnium morborum investigatione; in hujus autem maximam. Etenim mala hypochondriaca et hysterica in his incognitis rebus tota sita esse videntur; dum corpus, quatenus sensibus nostris patet, integerrimum est in nonnullis, quos hic affectus diu ac pessime habuerit. Nihilominus vix est ulla pars corporis, quae non interdum ex animi affectibus laesa fuisse videatur; nulla autem saepius aut gravius urgetur quam intestina, quae in his aegris raro vacant doloribus, gravitatis sensu molesto, cruditate, acore, ardore, nausea, et inflatione, quae fere strangulet, inferatque vertiginem, atque sensus omnes confundat: at cibi cupiditas naturalis manet, vel etiam naturali major. Urina diluta esse consuevit et copiosissima; hoc tamen non est perpetuum. Haud temere reperies quemlibet cordis ipsius affectum, qui palpitationes vehementiores excitet quam hic, de quo sermo est, licet cor interea sit sanum et illaesum. In iis etiam, quorum pulmones sunt integerrimi, spiritus fit non minus difficilis et angustus quam in justo asthmate. Tum solent deludi falsis imaginibus veluti globorum in faucibus haerentium et inani strangulationis metu. Lacrymae quoque sine dolore profluunt. Naresque et aures odoribus sonisque fictis implentur. Oculi sine manifesta causa caligant. Vertigo, sensuum confusio, stupor, et animi inconstantia sunt, cum attentionis memoriaeque defectione; quae palam faciunt facultatem aliquam deesse, quae moderetur et dirigat corporis motus, mentemque esse sub potestate aliena. Noctu etiam nulla fere miseriae intermissio est; nam aeger parum dormit, et somniis tumultuosis agitatur, et saepe expergiscitur. Ad haec accedunt jactatio, dolores vagi, ardores subiti, frigidi sudores, terror, tremor, leves membrorum distensiones atque torpores, quibus interdum adeo opprimitur, ut vel animo linquatur et concidat; vel aegre et magno conatu valeat tandem se colligere [1].

[1] Qualis sensuum confusio inferatur ab affectu hypochon-

Omnia haec mala viros hypochondriacos et mulieres hystericas pariter exercent. Sunt autem in his quaedam leviora, quaedam severiora, quam in maribus; alia etiam harum fere propria. Demissio et infractio animorum solent esse minores in feminis quam in viris; sed in illis multo saepius mentis facultates prorsus torpent; statuas esse diceres, gaudio aut dolore vix movendas. Animae defectiones magis familiares sunt in sexu muliebri, item distensiones quae vocantur hystericae, a quibus corporis robur majus potest viros defendere. Distensionum accessiones saepe excitantur levi quadam sensuum aut animi affectione, et incipere solent ab angore ventriculi aut viscerum; manent modo momentum temporis, modo semihoram, interdum altera alteram continuo sequitur per integrum diem; illud interea singulare est, quod quamvis aegrae loqui nequeant, et videantur prope intermortuae, saepe tamen audiant et intelligant quicquid ab assistentibus dicitur. Postquam aliquantum resipuerint, et vox redierit, pergent interdum loqui aliena per aliquot horas; cujusmodi leve delirium nonnullas invadit, etsi nulla accessio hysterica antecesserit. Illud etiam in hoc morbo interest inter feminas et viros, quod illae procliviores sunt ad lacrymas et ad risum sine voluntate. Post risum fere sequitur languor, lacrymae morbum levant. In feminis quoque saepius aut vox supprimitur, aut cla-

driaco, intelligi potest ex sequente historia. Vir circa trigesimum aetatis annum, sine quavis manifesta causa, incidit in gravem animi languorem, quocum diutius conflictabatur. Tandem, nescio qua judicii perversitate motus, novacula arrepta, penem scrotumque sibi abscidit. Postquam vulnus sanatum esset, ipse ultro ajebat, maxime mirum sibi videri, unde fieri potuisset, ut tam immane facinus auderet, qui alias semper timidi fuerat ingenii, sic ut venam incidi non mediocriter metueret, neque sine multa perturbatione tantulum vulnusculum sustinere posset: idem tamen ab omni metu liber fuit, dum amputationem praedictam aggrederetur doloris atque periculi plenam; quam porro, ut ipse mihi fassus est, ne minimus doloris sensus secutus est.

Similis historia legitur in libro cui titulus, *Medical Communications*, vol. II. p. 54.

mor immodicus editur, tum fiunt singultus, oscitatio, pandiculatio, aliaeque nervorum distensiones; postremo globus hystericus, qui fauces videtur impedire, feminas saepissime infestat, mares autem vel nunquam vel rarissime.

Vetus admodum opinio est hominis naturam contineri ex corpore, facultatibus naturalibus, et mente [1]. In feminis hystericis facultates naturales praecipue perturbantur et pervertuntur; in viris mens ipsa magis laborat. Itaque inter illas maximo dominantur nolentium vociferationes, defectiones animae, et distensiones omnis generis; inter viros autem tacita desperatio. Ea quoque causa esse potest, cur viri in hoc morbo crebrius quam feminae eo insaniae adigantur, ut necem sibi consciscant.

Nonnulli, qui contendunt curas atque gaudia inter omnes homines aequaliter fuisse divisa, opinati sunt languorem animorum sortem esse divitum et otiosorum, et eorum felicitatem ita temperare, ut horum beatorum vita non sit magis expetenda quam eorum, qui labore sibi victum quaerunt. Attamen nequaquam verum est, pauperes, et laboriosos, et humili loco natos, ideo tutiores esse minusque huic morbo objectos. Interdum a parentibus traditur, et semina ejus nobiscum simul nata justo tempore non cessant erumpere, qualiscunque fuerit vitae conditio. Languor animorum haudquaquam incognitus est operoso colono, quem prohibet gustare ullam partem voluptatis, quae laboris finiti praemium esse debuit. Non corporis firma constitutio, non temperantia, neque negotia, neque, quod nonnullis videtur, arthritis praestat homines securos ab hoc malo. Tamen illi procul dubio sunt opportuniores, qui se prorsus a rebus agendis abstrahunt. Nam otium non solum alet, sed etiam creabit affectum hypochondriacum: nec non idem facient nimia negotia. Immodicus usus veneris vinique perniciosus est in hoc morbo; neque utilis est nimia cibi abstinentia. Crebrae febres, alvus diu fusa, terror atque tristitia, non raro initium dant

[1] *Σῶμα, Ψυχὴ, Νοῦς.* Antonin. lib. III. §. 16. Simplic. Comm. in Epict. p. 7. Hammond, Whitby et Benson Comm. in Thessal. 1. Ep. V, 23.

huic affectui, etiam in iis, qui non fuerint ad illum natura proclives.

Morbus hypochondriacus, pariter ac arthritis, insania et phthisis, non solet esse molestus ante pubertatem. Ex illo vero tempore usque ad senectutem nullus est annus, in quem primus ejus impetus non incidit. Rarissimum est, ut hi aegri pejus se habeant vespere, quam mane. Nam plerique, tamquam qui aliis nervorum affectibus implicantur, somno utcunque exiguo laedi videntur; et quo diutius dormiunt, eo magis animo concidunt. Nonnulli, cum primum expergiscuntur, vix sunt apud se, et omnes corporis animique sensus confusos habent; aut si minus laborent, tamen nihil nisi luctuosa et acerba cogitant, cum hoc potissimum tempore tragoedias suas excitat hic morbus. In eodem fere statu aegri sunt, aut non multo meliori, usque ad prandium; tum demum incipiunt respirare, et aliquantum recreari, vespere autem animi in tantum reficiuntur, ut interdum nimii sint; quibus frui cupientes, et horrentes angorem, qui per quietem rediit, non nisi sero et inviti lectum petunt.

Cognovi tres homines, qui in exploranda et olfacienda thea occupati, tremoribus atque aliis hypochondriacis malis afflicti sunt; quae omnia theae imputarunt; rectene an secus, viderint alii, qui ampliores nacti sunt occasiones perspiciendi, quid in hac re verum sit.

Tempestates anni videntur nihil valere vel ad exasperandum, vel ad levandum hunc affectum; qui etiam quamvis cognatus est epilepsiae, insaniae, et paralysi, haudquaquam tamen consuevit in illos morbos desinere.

Ea est conditio hujus aegrotationis, ut qui ea laborant, semper desperent de recipienda sanitate: sed huic desperationi usus et ratio vehementer repugnant. Etenim, quantum sensibus nostris patet, singulae corporis partes inter tantas miserias integrae manent et illaesae. Mens quidem et facultates naturales opprimuntur jacentque; sed nulla accepta est injuria, quae eas in pristinum statum restitui prohibeat. Tum hypochondriaci saepe prae se ferunt colorem vultumque sanorum, neque corpus nec robur amittunt: ad haec, intermissiones sunt, in quibus fruuntur omnibus in-

tegrae valetudinis voluptatibus. Ingenium autem illis adeo non fit tardius, ut secundum ARISTOTELEM omnes ingeniosi sint melancholici. Sponte quoque sua interdum finitur hic affectus; fueruntque hypochondriaci, qui viginti annos ab eo liberi vixerunt. Aeger vero certe est in bona spe, nec fiduciam illi deesse oportet, cum morbus periculo vacet et nequaquam sit insanabilis; quo etiam finito, valetudo pariter erit integra, ac si vir nunquam aegrotasset.

In morborum longorum omnium curatione summa victus ratio habenda est, ne quid corpus detrimenti malique, quam maximum vero auxilii inde capiat: quo fiet etiam, ut facultas illa sui conservatrix, in omnibus animalibus insita, totis viribus contendat morbum excutere. In nonnullis quidem morbis nihil ultra medicina efficere valet. Igitur in languore animorum opera quoque danda est, ut non tantummodo vitentur, quae morbum genuerint aluerintque, verum etiam quaecunque secundae valetudini adversentur.

Medicamenta purgantia et exinanientia aliena sunt in hoc morbo. Cum tamen alvus plerumque adstricta sit, tuto dari possunt pilularum Rufi grana tria, vel talis modus cujuslibet remedii, qui non plus semel ventrem moveat: hoc enim pacto prohibebuntur, vel levabuntur multa intestinorum mala. Neque inutilis erit vomitus, quoties ventriculus praegravetur, et nauseet. Omnia valentiora hujus generis medicamenta sunt fugienda. Sanguinis detractio raro cessat omnia hypochondriacorum mala exasperare. Multum abest, ut podagra animos demissos erigere queat: quin saepius languorem auget. Verum tam parum in medicina positum est podagram vel creare, vel concitare, ut, meo judicio, ludat operam quisquis studet affectum hypochondriacum per arthritidem fugare. Aquae Bathonicae mihi visae sunt prorsus inutiles, nisi ubi ventriculus majorem in modum laboraret. Itaque iter illuc, et navigatio, vel peregrinatio, tum solum laudanda sunt, cum aeger locum mutando onus curarum, aut moeroris, negotiorumve deponere possit. Utiliores sunt lavatio marina, ut aquae chalybeatae, quae valetudinem firmiorem et corpus robustius reddant. Gummi-resinae, et radix valerianae sylvestris, et ferrum habentur in numero remediorum ad affectus nervorum; quicquid autem illis tribuam, ex aliorum me-

dicorum auctoritate, potius quam ex usu, mihi cognitum est. Quoniam vero nervi ventriculi et viscerum ceteris corporis nervis quodammodo dominentur, et in eos imperium habeant; cum quoque in has partes praecipue incumbant hypochondriacorum et hystericarum mala; facile patet utilitas remediorum quae acorem, inflationem, dolores, et reliquos intestinorum affectus levant, vimque et robur eis addendo faciunt, ut omnia sua officia bene et naturaliter peragant. Sed nullo modo melius succurritur infirmitati intestinorum, quam per medicamenta amara et aromatica, quibus, ubi opus fuerit, adjici potest quod leniter alvum solvat. Ex his fiunt pilulae, guttae, tincturae, vel infusa; quae compositionum varietas, tum moles haud magna, impedient ne quis hujusmodi remedia respuat, etiamsi necessarium sit in illis diutius perseverare.

Multi aegritudinem ex animis marcentibus vino et potionibus meracioribus cupiunt expellere; quod etiam ut faciant, amici, qui illis bene quidem volunt, sed male consulunt, haud raro hortantur. Vix dici potest quantum instet periculum, ubi aegri vel animo suo in hac re indulgent, vel amicorum improvidis consiliis parent. Breve quod sic nascitur solatium, nimis care emitur incremento languoris mox subsecuturi: tum quoque vini modus indies augendus, ut animi pariter recreentur, totam valetudinem miserabiliter perturbat conquassatque. Quodsi angor major fuerit quam qui tolerari possit, et proinde opus sit praesente remedio, satius erit ex opio, quam ex vino, petere auxilium. Paucae guttae tincturae opii cum vino antimonii, aut cum tinctura asae foetidae, aut etiam per se sumtae, praesidio erunt animis languentibus multo tutiori quam vinum; neque si augeantur, valetudini perinde nocebunt, neque hominem rebus agendis omnino minus aptum reddent: ad haec, longe facilius est aegrum tandem ab opiatis remediis abducere; quod longo usu didici. Nemo nescit haec contra evenire vinolentis.

Quidam dolores hypochondriacorum et hystericarum risu potius, quam misericordia excipiunt, tamquam quos ipsi sibi fingunt sine ratione. Verum in hac re longe errant. Neque enim dubitare licet, quin hujus aegrotationis, perinde ac alterius cujuslibet,

verae causae subsistit. Constituendum animo est, vim morbi fore eo minorem, quo magis in adversum aeger nititur, et quo fortius illi resistit: atque hoc opinione magis situm est in ipsius potestate. Quisquis hoc sibi persuadere simul, et prorsus morbo suo non cedit, sed it contra audentior, hic ille proxime abest a sanitate. Digna autem est causa, in qua omnibus corporis animique nervis contendat; neque enim de re parva certamen est, sed de vita ipsa, beatane futura sit, an misera.

CAP. L.

De ictero aliisque jecoris affectibus.

Inter frequentissimos jecoris morbos ille est, qui fit interclusis bilis viis; et est minime periculosus. Nondum constitit, ob quas causas bilis interdum concrescat, et calculos faciat. Hi calculi saepissime delitescunt intus in vesica fellea; et inde fortasse eorum plerique veniunt, qui in viis postea reperiuntur. Fieri tamen potest, ut bilis in ipsis viis primum coeperit concrescere, vel etiam in jecore, quamvis ictericorum jecur plerumque nullo vitio afficitur. Quoties calculi expulsi e vesica, seu in ipsis canalibus nati, vias impedierint, refluit bilis in jecur, atque inde in sanguinem, et aureo colore inficit serum, cutem, oculos, et urinam [1]. Signa morbi consueta (qui dicitur icterus, aurigo, morbus arquatus, aut regius) sunt fastidium cibi, sensus gravitatis in ventriculo, nausea, vomitus, languor, desidia, vigilia, et macies insignis; atque haec quidem sunt aliorum morborum communia; proprius autem est icteri aureus color oculorum, cutis, et urinae, dum alvus pallida reddit. In quibusdam dolor ventriculi vix tolerabilis fit aliquot ante icterum dies, pulsu interea non omnino concitato. Qui motus naturalis arteriarum distinguit hunc dolorem

[1] Cujusdam icterici urina saturrime fusca, paucas horas servata, viridem colorem induit; quemadmodum interdum fit in vomitu bilis flavae, cujus color post aliquam moram in viridem mutari solet.

ab inflammationibus viscerum. Quamobrem in hoc casu medicus tuto potest jubere aegrum bono esse animo, cum dolor, vel medicinae vel naturae beneficio, brevis fiet, neque minimum periculum inferet. Dolor, qui in nonnullis ictericis summus est, in aliis vix sentitur, vel etiam prorsus deest. Raro perseverat ultra biduum triduumve; in uno tamen aegro saeviit mensem integrum, nisi tum cum opio vinceretur: et quamquam plerumque antecedit luteum cutis colorem, cessatque protinus ut hic conspicitur; hoc tamen non est perpetuum: nam in quibusdam saepius repetit, aut vix prorsus conquiescit, quamdiu morbus manet.

Jure licet suspicari calculum haerentem in bilis viis, ubi omnes aliae icteri notae inveniuntur, etiamsi color non fuerit luteus. Quae suspicio non raro mihi confirmata fuit, vel quia calculus postea expulsus est, et omnia mala levata; vel quia una ex his accessionibus tandem desierit in icterum.

Quemadmodum suspicio esse potest calculi fellis, sine ullis ejus signis in cute, aut in oculis; sic vicissim color interdum luteus esse dicitur sine calculo: nimirum quia duodenum adeo infarctum est, ut exitum bili neget; vel quia impeditum est spasmis hystericis. Quam vere haec dicantur, viderint alii. Plurimi certe medici, testes oculati, consentiunt febrem quandam in India occidentali aegros icterico colore inficere; quod alii quoque de morsu viperae affirmant.

Lucretius, quantum novi, primus dixit lurida fieri quaecunque tuentur arquati[1]; quod etiam omnibus in ore est. Tamen, quos vidi ipse arquatos, uno consensu hoc negarunt, praeter duas feminas, quarum testimonium multa levabant.

Tempus icteri est admodum incertum. In quibusdam finitus est intra paucos dies; in aliis perstitit annum. Interea tam longum bilis impedimentum valetudinem neutiquam adeo corruperat, quin protinus ut icterus recessisset, integra sanitas rediret. Cognovi quos hic morbus saepe occupaverat in annos viginti, et tamen inter accessiones recte valuerant.

Calculi modo tantae magnitudinis sunt, ut totam fellis vesicam expleant; modo his minores, donec ad

[1] Lib. IV. v. 333.

pulverem minutum descenderint. Ubi calculus major fuerit, quam qui ductum subire possit, vix crediderim quin incommodi aliquid inde oriatur; verum quid sit illud malum, nondum satis compertum habeo. Multorum cadavera incisa vidi, quorum vesiculae abundabant calculis, et interdum satis magnis, quamquam neque icterus fuisset unquam, nec quodvis aliud malum, quod huic causae adscribi jure posset. In paucis vero suspicatus sum dolores saevos hypochondrii dextri profectos fuisse a calculis, qui post mortem in vesica reperti sunt. Biliis viae in ictericis, non secus ac ureteres in calculosis, modo ubique dilatantur, modo in quibusdam tantum locis, ubi calculus aliquis grandior moram fecerit. Mulier, quae cum ictero multos annos saepe conflictata fuerat, tandem expulit calculum, cujus minor ambitus erat pollicum duorum. Jecur ipsum prorsus sanum repertum est in multis, qui ictero saepe laboraverant.

E calculis bilis, quos ipse examinavi, alii fuerunt aqua leviores, alii ponderosiores, et flammas promte conceperunt.

Nescio an cutis prurigo non pejus angat ictericos quam dolor; cum somnos pariter impediat, tum maneat diutius, et sine ulla intermissione. Quamquam autem alii hoc tormento macerantur per totum morbum; alii contra ab illo prorsus liberi sunt. Interdum cum ictero singultus est, sine jecoris ipsius vitio, et sine periculo. Non est perpetuum ut alvus in hoc morbo vel adstricta sit, vel soluta; at semper facile movetur, qua nota discernitur ab ileo. Icterici nonnunquam inhorrescunt per horam integram; tamen is horror nec inflammationis, neque mali cujuslibet indicium est; sed tum fortasse excitatur, cum calculus per canalis angustias eluctetur. Quibusdam ictericis omnes cibi videntur amari; et interdum, sed rarius, potiones. Vidi feminam, quae ictero laborabat sesquimensem, et per totum hoc spatium lactabat infantem prosperrima, ut videbatur, valetudine; atque ipsa mihi dixit lac fuisse coloris naturalis. Ab aliis autem medicis audivi lac ictericarum flavere. Lacrymae unius icterici, ut ipse mihi retulit, flavebant. Sitis insedabilis, et appetentia cibi naturali major, unum tantum et alterum eorum quos curavi

fatigabant. Acor atque ardor ventriculi pluribus fuerunt molesti.

Infantes et pueri morbo regio perinde obnoxii sunt, ac adulti. Illi vero semper leviter laborant, et cito restituuntur. Mares quoque et feminae pariter infestantur. Qui semel fuerunt icterici, eodem plerumque morbo iterum aegrotant; non solum quia eadem corporis constitutio novis calculis gignendis favet, sed etiam quia icterus saepe finitur calculo non expulso, sed in vesiculam relapso, unde iterum proveniat in ductum et novam accessionem inferat.

Aurigo, quae ex bilis canalibus impeditis orta est integro hepate, vacat quidem periculo, et multas etiam a rebus agendis non abstrahit. Omnia autem hepatis ipsius vitia maximum aegris periculum intentant. Hoc viscus inflammationibus repentinis ac vehementibus opportunum esse videtur, quae vel paucis diebus occidunt, vel, suppuratione facta, tardius sed non minus certum exitium afferunt. Hoc tamen rarius est. Multo saepius scirrhus in aliqua ejus parte nascitur, prorsus uti fit in mammis feminarum, qui modo conquiescit, modo inflammatur cum febre hectica, fastidio, macie, tussi, et singultu. Spatia inter inflammationes in aliis alia sunt. Hi paucis mensibus moriuntur; illi annos aliquot supersunt; plerique paullo ante mortem fiunt hydropici. Jecur forsitan haud acutiore sensu donatum est quam pulmones; quamobrem si hoc solum sit in morbo, et partes vicinae contagione non laedantur, obscurus aut nullus dolor percipietur. Sic affecti vix nisi in latus dextrum cubant.

Morbis hepatis saepe accedit dolor humeri dextri. An idem quoque fiat e simplice ictero, non compertum habeo.

Ubi hepar scirrhosum est, saepe fit sanguinis cursus e naribus, gingivis et umbilico; vomitus etiam sanguinis est, et alvus reddit cruenta.

Haud pauci moriuntur vitiis jecoris, quorum urina et cutis per totum morbum nunquam fuerant luteae. Nam is color tum solum accedit, ubi scirrhi sic siti sunt, ut bilem contendentem in intestinum impediant, retroque ferri in sanguinem cogant.

Jecur scirrhis induratum saepe manu extrinsecus deprehendi potest. Atque haud scio, an aliud certum

hujus morbi indicium sit praeter ea, quae supra proposita sunt. Venae concitatae, singultus, nausea et fastidium, communia sunt jecinori et aliis visceribus vitiosis. Sed parvi interest sollicite definire, cui demum abdominis visceri inflammatio et scirrhus insideant; ubi ubi enim sint, vix ullis aliis auxiliis locus erit, quam quibus utendum est in febris hecticae curatione. Veri non absimile est, ubi scirrhus exiguam jecinoris partem occupaverit, victu refrigerante curaque sollicita fieri posse, ut vel tarde, vel non omnino vitium serpat.

Inflammatio jecinoris interdum desinit in suppurationem. Si pars inflammata agglutinaverit se intestinis, et rupto abscessu pus in ea feratur, aeger illico vomit et dejicit humorem atrum teterrime olentem, et intra paucas horas moritur. Interdum inflammationis sedes vicina fuit parieti abdominis, cui tandem adhaesit, et abscessu facto tumor assurrexit extrinsecus, quo rupto non exigua copia humoris effluere perseveravit diutius. Quaedam quinquagenaria graviter aegrotabat decem dies cum dolore ventriculi, singultu, alvo fusa, atque animae defectionibus, et aegre restituta est: post mensem tumor ortus est prope umbilicum, qui apertus multum humoris flavi profudit in quatuor annos; deinde dolor auctus est cum nausea et horrore, et post paucos dies exiit calculus fellis tres pollices longus, totidemque ambitu, quique pendebat grana CCXLV: humor tenuis flavus copiosissime manabat per dies quatuordecim; brevi postea ulcus sanatum est, et femina satis commode valebat. Patet, vesiculam felleam in hac aegra fuisse inflammatam et dein exulceratam. Ex iis, quos suspicatus sum inflammatione jecinoris laborare, quidam intra decem dies mortui sunt, alii cum morbo suo conflictati sunt duos menses. Leves mentis alienationes, et cutis modo lutea, modo coloris naturalis, interdum pustulis notata, his aegris fuerunt praeter communia febrium signa.

Regione jecinoris graviter collisa, id viscus interdum induruisse novi. Idem vitium saepius ortum est ex eodem corporis habitu, a quo scirrhi in ceteris quoque partibus gignuntur; praecipue tamen fit ex immodico usu vini et potionum meraciorum, quae proprie nocent jecori prae omnibus aliis visceribus.

Hinc est quod viri, cum vino magis dediti sunt, vitiis jecoris saepius affligantur quam feminae. Aquae Bathonicae nusquam sunt utiliores quam in medendis morbis ab ebrietate profectis: sed postquam hepar factum fuerit scirrhosum, et febris hectica indicet hos scirrhos proclives esse ad inflammationem, ibi istae aquae veneno pejus sunt vitandae.

In curatione icteri simplicis ante omnia opera danda est, ut dolor mitigetur, siquidem aeger eo, ut saepe fit, torqueatur. Unicum autem ejus remedium est opium. Hujus granum unum quamprimum sumere oportebit; idque bis vel ter tuto repeti potest intra duas horas, si dolor postulet. Qui accessionibus icterici doloris subjectiores sunt, ad manum habere semper debent duas hujusmodi pilulas, quibus ingruenti dolori sine mora occurratur. Proximo loco attendendum est ad vomitum, qui saepe in hoc morbo diu et vehementer aegrum exercet. Hic videtur esse conatus quidam naturalis, quo calculus loco suo moveatur, sive in duodenum intestinum descendendo, seu relabendo in vesicam. Metuat forsitan aliquis, sicubi calculus fixus haereat et immobilis, ne vomitus dolorem intendat, vel etiam canalem membranaceum laceret; ideoque medicamenta quae vomere faciunt reformidet. Sed hujusmodi metum usu didicimus esse inanem; cum vomitus dolorem mitigare potius quam augere deprehendatur. Quodsi securi simus de periculo, omnino oportebit illum excitare, aut etiam bis facere, licet aeger sua sponte non vomat, quo scilicet calculus e canali expellatur. Postquam satis vomuerit, opio dato quies conciliianda est.

Neque minus praesidii erit in purgantibus; quae motum intestinorum naturalem incitant, et cursum bilis copiosiorem provocant. Medicamenta ex hydrargyro a nonnullis existimata sunt reliquis purgantibus praestare, cum vero argentum vivum, quantum novimus, propriam vim nullam habeat ad resolvendas bilis vias et calculum expediendum, meo quidem judicio maxime convenient quaecunque facile tolerantur, et tuto repeti possunt diutius. Hujus generis sunt aqua marina, fontes salsi, et varii sales dissoluti in aqua vel pura, vel in quam herba aliqua amara missa est. Haec quotidie vel altero quoque die sumere licebit in multos menses sine minimo languore

stomachi, aut virium, aut animorum. Pulvis etiam compositus e radice rhabarbari et herba qualibet amara his aegris idoneus est. Icterus puerorum medicamentis purgantibus facile cedit. Si icterici alvus fusior sit, videndum est ne purgatio nimia fiat; et propterea ventriculus sustinendus est medicamentis amaris. Saepe prurigo in tantum fatigat ictericos, ut haut minus quam ipse dolor opio leniri postulet, sine cujus praesidio nec quies interdiu, neque noctu somnus sperari potest.

Sunt et alia remedia, quorum beneficio quidam confidunt calculos bilis dissolvi posse. Hujus generis sunt aqua calcis, sales alkalini, aqua kali puri, et varii sapones. At frustra fui, dum calculos aut in his aut in acidis mineralibus liquare conatus sum. Aether, si bene memini, eos tandem tabefecit. Verum ponamus hos vel alios quoslibet liquores, ubi calculo superinfusi sint, eum comminuere posse; tamen in ventriculum demissi, ad calculum in vesica latentem, vel haerentem in viis, nullo modo pertinere valebunt. Quamobrem illud remedium votis nostris solum respondebit, quod bilis naturam ita mutet, ut amplius non concrescat, aut, si concreverit, liquefaciat, et in bilem resolvat. Talia sane remedia venditata sunt; sed multum abest, ut eorum facultates usus comprobaverit. Vir quidam saponis unciam quotidie devoraverat per septem annos, cujus vesica fellea nihilominus calculis referta est, ne minima quidem parte excesis. Medicus solers et in arte sua exercitatissimus solitus erat ictericis dare salis cornu cervi scrupulum ter quotidie; ex quo egregios effectus se saepe expertum esse affirmabat. Rationi quidem consentaneum est, sales alkalinos et saponem utiles esse adversus icterum, cum horum natura adeo accedit ad bilem, ut ejus vicem quodammodo impleant in concoquendo cibo, et in detergendis intestinis. Cauto tamen opus est, ne nimium fidamus his rationibus: cognovi enim largos haustus succi limonum adeo profuisse ad icterum, ut famam remedii reportaverint.

Praeterea multa icteri remedia, quae jam merito neglecta jacent et contemta; cum futilibus prorsus causis, atque erroribus saepe ridiculis famam suam debuerint. Aquae Bathonicae a quibusdam jactantur, tamquam quae plurimum ad salutem ictericorum conferant. Hi aegri, ut dictum est, ubicunque vivant,

plerumque convalescunt: sed, quantum potui intelligere, salus illis non facilior fuit, propterea quod biberint istas aquas. Cum tamen tutae sint, eas prohibere non oportebit, ubi ab ioterico expetantur.

Inter varia corporis humani mala vix aliud frequentius est, quam ventriculi dolor; qui, nisi me omnia fallunt, haud raro initium habet a bile concrescente vel coacta, quamvis canales nondum adeo impedierit, ut retro in sanguinem vertatur, et faciat icterum. Jam diu est quod multa me moverunt hoc suspicari, et in annos singulos haec suspicio confirmata est. Nam in multis, quibus per aliquot menses, aut etiam annos, familiaris fuerat ventriculi dolor, vidi eum tandem desinere in icterum. Nullus itaque locus dubitandi de hac re mihi relictus est. Quare ubi hujusmodi dolor saepe repetat sine quavis alia manifesta causa, atque aeger simul queratur sensum gravitatis molestum, ibi bilis plerumque erit nimis crassa, et auxilium petendum erit ab iis, quae vomere faciunt, et ab aquae marinae potione aut aliis medicamentis, quae alvum leniter solvunt.

CAP. LI.

De ileo.

Ileus, sive inflammatio intestinorum, praecipue invadit adultos, tum maxime eos, qui hernia laborant, vel alio vitio earum partium; ex quo factum est, ut quidam diu vixerint colicis doloribus subjectiores. Aetas puerilis non prorsus secura est ab hoc morbo, quo septennes periisse novi. Et fieri potest, ut hoc sit unum ex istis viscerum malis, quibus tot infantes moriuntur ante quartum aetatis annum.

Incipit a dolore in aliqua parte intestinorum sito, qui vel repente et summa vi urget, vel ab exiguis orsus initiis sensim ad summum pervenit. In uno et altero postquam visus est minui per paucos dies, dein reversus est, nullis remediis cessurus.

Umbilicus atque dorsum ipsis aegris visa sunt sedes doloris, etiam illis, qui hernia afflicti sunt. Quamquam vero hernia saepe fuerit causa, tamen, ut

suspicor, non semper fuit inflammationis sedes; et in quibusdam nescio, an dolor aliquid habeat commune cum hernia, verum ad aliquam ex iis causis fortasse referendus sit, a quibus oritur etiam in illis, qui nunquam fuerint ramicosi. Ructus, qui ileo saepe accedit, et tussis, dolorem vehementer exasperant.

Ileus semel atque iterum incepit ab angore et sollicitudine potius quam dolore; etiam ubi post mortem apparuit partem intestini gangraena fuisse occupatam. In iis, qui coeperunt convalescere, dolor mutatur in eum qui tactu excitatur in loco leviter laeso; simul aeger se ubique levari sentit. In iis, qui moriuntur, fit summa jactatio, atque omnia in pejus ruunt. Morbus, sive spectet ad sanitatem, sive ad mortem, erit modo tardior, modo brevior, ut in omnibus inflammationibus, et fortasse prout major vel minor pars intestini fuerit affecta. Igitur alios secundo die, alios non nisi decimo quarto occidit. Constat ictum vehementiorem aut acre venenum istiusmodi inflammationem excitare posse, quae vel primo die, vel paucis horis interficiat.

Motus arteriarum permagni interest ad intelligendam naturam malorum, quae ileo communia sunt cum ictero et affectibus spasmodicis; nam in his vomitus et dolores non minus saeviunt, quamvis ne minimum periculum habeant. In hoc casu pulsus fere semper est naturalis, qui in ileo multum acceleratur. Tamen interdum fit, nescio qua de causa, in hac perinde ac in aliis inflammationibus et morbis acutis, ut arteriae omnino naturaliter ordinatae sint, et nullum futurae mortis indicium ostendant: quod quidem ter in ileo contigisse memini.

Singultus et sitis insedabilis saepe non longe ab initio morbi incidunt, et per totum ejus spatium aegros fatigant.

Stomachus adeo promte reddit quicquid ingeritur, ut perdifficile sit invenire vel medicamenta, vel cibum, quae non statim vomentur. Crescente morbo liquor fuscus vomendo elicitur, quem multi aegri et eorum famulae dixerunt sibi, sensuum judicio, stercus esse videri; de quo itaque vix possum dubitare, quamquam idem mihi nunquam visum est. Veteres quoque medici consentiunt in hoc morbo stercus per os reddi. Hujus generis vomitus accessit primo vel

secundo die; sed hoc rarum est: saepius tertio vel quarto die primum conspicitur, et interdum non ante octavum. Quidam libras quatuor quotidie vomuerunt per sex aut septem dies, licet toto hoc tempore nihil fere sumsissent. Hic liquor ex iisdem fontibus derivatur ac ille, qui copiosissime dejicitur, ubi alvus fusa est. Itaque constat ileum interdum oriri non ex intestinis impeditis aut implicatis, sed ex motu eorum contrario: quam sententiam confirmat id quod ab aegris saepe audivi, nimirum, quae in alvum infusa sunt vomitu per os reddi. Quod etiam factum est ubi morbus initium habuit ab hernia in inguine, quae existimata fuit intestinum delapsum arctè comprimere, atque iter in utramque partem intersepire. In ipso moriendi articulo ejusdem humoris repentina profusio sursum et deorsum facta est. Hujusmodi vomitus, et venter simul quam maxime inflatus intentusque, signa sunt capitalis periculi, ex quo neminem evasisse memini. Nec tamen in scriptis medicorum, tam veterum, quam recentium, desunt historiae aegrorum, qui etiam ex his malis salvi emerserunt.

Dolore cessante sine aegri allevamento, sequuntur angor et jactatio ipso dolore pejores: quamquam autem his accedat vigilia, atque omnes vitae vires concidant, raro tamen fit, ut hi aegri delirent.

Proprium et praecipuum indicium colicae cum inflammatione, etiam in ipso morbi initio, est alvus ex toto suppressa; quam movere semper difficile est, quaeque non raro omnia medicamenta vincit. Quamprimum alvus copiose fluxerit, protinus omnia mala fiunt leviora, et aeger cito convalescit. Verum non licet morbum putare superatum ex una aut altera exigua dejectione: nam primo vel secundo die venter saepe excernit ea, quae in recto intestino morabantur, longe a sede morbi, et ipse nihilo secius increscit. Neque magis proficitur, ubi ultimis morbi diebus exigua portio humoris, quo intestina replentur, viam sibi faciat in alvum, et dejiciatur. Hoc novi contigisse paucas tantum horas, antequam extremae partes coeperint frigescere, morte brevi subsecutura.

Incisis quorundam cadaveribus ileo peremtorum, quaedam partes intestinorum arcte constrictae fuerunt sic, ut postquam ferro divisae sunt, eorum foramen omnino deleri videretur. In aliis repertae sunt in-

testinorum partes inflammatae, aut mortuae; nusquam vero aut constrictae, aut quovis modo impeditae. Vir, qui hernia in inguine diu laboraverat, ileo correptus periit; at, inciso cadavere, intestinum adeo laxe jacebat in inguine, ut duo digiti in idem foramen facile admitterentur; pars quoque intestini, hoc annulo circumdata, multo minus laesa fuerat, quam quae in scrotum descenderat, quae nigra erat et emortua. Quantum illae post mortem mutatae sint, incertum est. In altero dimidius ambitus membranae coli exterioris, quinque pollices longus, nigri erat coloris, quamvis nullum impedimentum detegi potuit. In muliere, quae decimo quarto die extincta est, exigua pars tunicae intestini, extrinsecus oculos fugiens, in inguen delapsa erat, et gangraena occupata; sed nec stercus, nec quodlibet aliud impedimentum erat.

Ex iis, quae dicta sunt, patet ileum esse istiusmodi morbum, in quo omnia calefacientia sunt aliena; ad quae tamen aegri et sponte sua, et amicorum hortatione, nimis saepe confugiunt. Curatio fit per eas res, quae minuunt inflammationem et alvum movent. Igitur sanguis toties detrahendus est, quoties dolor et inflammatio postulent, et vires sinant. Proximo loco tentandum est balneum, et ad arbitrium aegri repetendum. Dolores, utcunque atroces, fere semper conquiescunt, quamdiu aeger in balneo remaneat. Fomenta, et vesicae aqua calida semiplenae, ventri admotae, remedia sunt balnei similia, sed minus valentia. Emplastrum cantharidis super abdomen impositum profuit non solum refrenando inflammationem, sicut in pleuritide, sed etiam coërcendo distensiones, quae vel impediunt, vel invertunt naturalem intestinorum motum.

Omnia haec auxilia reddunt alvum magis promtam ad parendum medicinae; ex quo vita aegri unice pendet. Odiosum est, quod purgantium omnium sapor plerisque injucundus sit et nauseam moveat; ad quam etiam morbus sua natura semper proclivis est. Hinc oritur non mediocris difficultas inveniendi medicamenta, quae gustu tolerabilia ferri, et a ventriculo retineri possunt. Verum, qui non aversantur pilulas, commode devorabunt extracti colocynthidis compositi grana quinque singulis semihoris, donec alvus responderit. Duo cochlearia jusculi, vel aquae menthae

piperitidis, in quibus dissoluta fuit sesquidrachma magnesiae vitriolatae, nonnullis sunt satis tolerabilia, licet haec etiam repetenda sint singulis semihoris. Infusi quoque sennae par modus, eodem modo datus, vel etiam cochleare olei seminum ricini exitum habuerunt felicem. Hoc oleum diligenter infricatum abdomini in uno et altero visum est multum conferre ad ventrem liquandum. Calomelas, et alia remedia ex hydrargyro, dicuntur augere vim purgantium, et ea reddere efficaciora: verum hanc argenti vivi facultatem usus mihi nondum satis confirmavit. Fieri potest ut, quibus id dederim, nullis remediis essent medicabiles; et fateor me rarius eo usum esse. Exiguum seu potius nullum auxilium est in iis, quae ab inferioribus partibus infunduntur, exceptis quae fiunt ex foliis nicotianae. In aquae ferventis uncias duodecim mittitur foliorum drachma vel etiam drachmae duae, et humor colatus in alvum infusus vomitum non excitavit. Caput vero inde consuevit vertigine affici magis quam a fumo. Fumus immittitur per follem, qualis vulgo adhibetur ad suffumigandas arbores animalculis obsitas, et similis est istius, quae describitur in Heisteri Chirurgia, nisi quod pyxis aenea, quam lignea, potior est. Fistula debet esse duos pollices longa; fundus habet tertiam pollicis partem, apex vero quintam partem. Hujusmodi tubus facile aptatur folli cuilibet, sic ut aër commodissime per nicotianam impellatur, fumum secum trahens in intestina. Nicotianam autem accendit charta nitro imbuta. Hoc remedium magnam vim habet ad coërcendos intestinorum motus inordinatos, ventremque exinaniendum. Interdum alvum momento temporis solvit; interdum non nisi postquam adhibitum fuerit quarta quaque hora per integrum diem; neque raro spem meam prorsus destituit. Fieri potest, ut una nicotianae species altera sit valentior, quod tamen usu nondum satis cognitum est [1].

Libra una argenti vivi ideo data fuit, ut pondere suo viam per intestina impedita aperiret; quod qui-

[1] Video ejusdem generis remedium ab Hippocrate memoratum esse inter ilei auxilia: *φυσᾶν χαλκευτικὴν ἐσιέναι, καὶ φυσᾶν ἐς τὴν κοιλίην.* — *Περὶ Νούσων,* XV. (Notula *Heb.* filii).

dem pari ponderi aquae, vel jusculi, praestare existimatum est, tum quia minor ejus modus facilius retinetur, tum quia argentum vivum propriam vim habet ad vomitus coërcendos. Tamen in aegris, quos vidi, haudquaquam prospere cessit. Pondus certe prorsus inutile est, ubi impedimentum situm fuerit in parte intestini ascendente; et quamvis toto suo pondere in id incumbat, tamen vis illa, quae in hoc morbo vel constringit intestina, vel eorum motum invertit, longe major est, quam quae huic, vel multo etiam graviori ponderi cedat.

Opium a quibusdam rejicitur in hoc morbo, quoniam omnia narcotica faciunt intestina torpere, et propterea hebetant facultatem remediorum, e quibus aegri salus speranda est. Contra alii defendunt opii utilitatem, quia vomitum cohibet, sic ut stomachus possit retinere eum medicamentorum modum, qui multum superet torporem a narcotico profectum. Praeterea opium prodest distensiones moderando, motusque musculorum inordinatos compescendo. Et aegri vigilia fatigati et angore confecti perdurare vix possent sine benigno hujus succi auxilio. Haec mihi perpendenti ea sententia multo potior visa est, quae opium contra ileum prodesse statuit, quam quae nocere: eamque usus haud mediocriter confirmavit. Opii beneficio prospere dedi medicamenta, et plura et valentiora quam sine illo ventriculus tulisset: tum quoque vires aegri somno recreatae sunt: atque etiam ubi salus ejus prorsus desperata fuerit, et angor summus cruciaverit, opium utique sollicitudinem aliquantum levavit. Mors quidem neque serius, neque citius venit, sed tamen minore cum cruciatu. Magnus ille verae philosophiae instaurator, Verulamus, queritur studium euthanasiae medicis haud satis cultum fuisse. Medici profecto munus est, aegrotis sanitatem reddere; cum tamen ex lege naturae erit tandem unicuique mortalium aegrotatio nulla arte medicabilis, benevolae hujus artis professoribus conveniret, mortem inevitabilem, quantum fieri potest, terrore omni spoliare; et ubi non datum est praedam morti extorquere, sed vita necessario amittenda est, operam saltem dare, ut cum minima crudelitatis specie amittatur.

Ileus interdum fit cum hernia; in quo casu, si-

quidem id facile possit fieri, intestinum in ventrem reponi debet. Verum dubia res est, an multus labor huic operi impendendus sit. Incertum enim est, hernia necne sit sedes vel causa inflammationis; cum ileus saepe incidit sine hernia, et hernia diu manere potest sine ileo. Itaque inflammatio quoque cedere potest, licet hernia permaneat; quemadmodum saepe nascitur, ubi nulla fuerit hernia. Postremo ileus perseveravit, et in mortem desiit, etiam ubi intestinum rite fuerit repositum. Utut res est, omnis violentia in reponendo intestino vitanda est, quippe quae augeret potius quam minueret inflammationem. Abunde constat ramicem non necessario impedire purgantium effectum; et ubi is est copiosus, aeger securus esse potest sanitatis brevi redituræ.

Annulum, per quem intestinum descendit, ferro dividere raro convenit, cum propter multa, quae ante praecepta sunt, tum aliis quoque de causis. Nam metuendum est, ne remedium anceps adhibeatur justo citius, vel plenum doloris justo serius; et, puto, nobis nequaquam suppetunt documenta, quae ostendant quibus aegris, et quo morbi tempore, scalpellum adhibere proderit, et praeterea nihil.

CAP. LII.

De inflatione et ructu.

Plerisque morbis ventriculi et viscerum accedit inflatio; quae etiam raro deest inter innumera mala, quibus urgentur hypochondriaci; interdum quoque antecedit accessionem epilepticam. Inflatio fit modo cum cruditate, modo cum nausea, vomitu, aut levi difficultate devorandi, modo cum angore summo, qui suffocationem, nervorum distensiones atque animae defectionem intentat, modo cum vocis suppressione, vertigine, et cordis palpitatione.

Hoc malum saepe exasperatur alvo adstricta: quod tamen non est perpetuum: et quamquam interdum levetur, saepius tamen augetur a cibis. Bathonia nequiquam est certum hujus morbi praesidium; neque sane sperare licet idem ubique convenire remedium,

ubi tot dissimiles causae fuerint. Si morbus principalis manifestus est, ad hunc curatio erit adhibenda. Quodsi aeger nihil queratur praeter inflationem, auxilio erit medicamentum, quod alvum leniter solvat, quale est quod habet florum chamaemeli contritorum semiscrupulum, piperis longi grana tria, aloës granum unum; idque singulis noctibus sumere oportebit.

Ructus reversi sunt quotidie vel incertis horis, vel certum habentes circuitum. Nascuntur quoque cum vertigine, ardore ventriculi, et singultu; et modo tam vehementes sunt, ut parum distent a convulsionibus. Vinum et dulcia nocuerunt. Acida juverunt. Vomitus et purgantia nihil profecerunt.

CAP. LIII.

De insania.

Animi sollicitudo ingens, à quacunque causa proficiscatur, plerumque initium dat insaniae, sive illi mentis alienationi, quae fit sine morbo acuto, et sine motu arteriarum concitato. Interdum oritur ex aliis morbis, veluti lumbricis intestinorum, epilepsia, et multis capitis affectibus, quales sunt tumores, scirrhosi, aut aqua in cerebro, aut ictus graviores, aut forsitan prava quaedam cerebri conformatio a parentibus insanis derivata. Vigilia, et sensus angoris in visceribus, qui saepe videtur ad caput ascendere, antecedunt potius, quam creant insaniam. Mulieres videntur opportuniores esse huic morbo quam viri, tum maxime tempore partus.

Insania in illis morbis numeratur, qui vix unquam se produnt ante pubertatem. Semel tantum vidi insanum, qui decimum sextum annum nondum compleverat. Morbus hereditarius interdum latuit usque ad senectutem; et mens demum non nisi post sexagesimum annum turbari coepit.

Insedit in animis hominum opinio, insaniam a lunae facie pendere; quam opinionem nemo unus ex insanis, quos vidi, confirmavit.

Arthritis existimata est alios morbos omnes absorbere et penitus in suam naturam mutare, ita ut

vix ulla vestigia aliorum affectuum, praeter hunc, in corpore supersint. Quam vere de arthritide hoc dictum sit, viderint alii; nullus autem dubito me aliud ejusmodi in quibusdam insanis deprehendisse. Nimirum, in uno a febre gravi assurgente, languor virium summus erat, et valetudo admodum infirma; protinus autem ut insania accessisset, valetudo et vires integrae restituebantur. Alium phthisi pulmonis implicitum, cum jam fere ad ultima ventum esset, insania occupavit, quae illico fugavit phthisin, atque aegrum, praeter omnium spem, e mortis faucibus eripuit.

Credibile est noxam haud mediocrem cerebro illatam fuisse, cum quis fiat expers rationis, qua homines a ceteris animalibus maxime distant. Verum pars illa cerebri, quae vitam tuetur, parum aut nihil habet commune cum illa, quae est ad rationem necessaria. Itaque multi exstiterunt insani, qui ceteroquin secundae fuerunt valetudinis usque ad extremam senectutem.

Insani non raro colligunt se et fiunt sani; morbus tamen e quavis intemperantia aut animi perturbatione facile repetit. Quo factum est, ut nonnulli totam aetatem inter insaniam et rationem diviserunt. Qui nunquam ad se redeunt, fiunt vicissim furiosi et tristes; et modo in hoc, modo in illo statu menses integros interdum agunt. Proxime absunt a ratione, cum tristes sunt. Vetus morbus interdum mutatur in stuporem aut fatuitatem. De tempore praeterito haud magis sane, quam de aliis rebus judicant; verum memoriam habent adeo imperfectam, ut quidam conquesti sint se jam duos menses in ea domo mansisse, in qua plus viginti annos fuerant conclusi.

Accedentem insaniam homines saepe augent, vinum intemperanter potantes, et inceptis novis et nihil attinentibus mire se sollicitantes. Ubi ipso initio dementiae copia suo more vivendi insanis adimatur, positis non sub potestate amicorum vel servorum suorum, sed custodum iis prorsus ignotorum, non raro evenit, ut brevi ad se redeant sine medicamentorum auxilio. Quodsi alvus adstrictior fuerit, seu corpus inutili victu vinoque nimis calefiat, purgantia medicamenta ad sanitatem conferent. Est quoque ubi opium animos mulcendo et somnum faciendo

non mediocriter juvat. Praeter autem haec pauca, nihil cognovi, quod aliquid opis in se habeat ad hanc tantam calamitatem levandam.

CAP. LIV.

De intestinorum dolore.

Dolores intestinorum cum nascuntur e multis causis, quas cognovimus, tum forsitan ex aliis, quas nondum suspicamur, cura opus est, ut semper, quantum fieri potest, vera eorum origo detegatur; etenim pro diversa natura alia atque alia curatio postulabitur.

Morbi ovariorum, uteri, vesicae, renum, lienis, pancreatis, jecinoris, omenti et intestinorum, omnes pariter vocantur viscerum morbi. A nobis ante dictum est calculum in viis bilis opinione crebriorem esse causam doloris in abdomine. Tumores scirrhosi, et ulcera, quibus omnia viscera sunt opportuna, lumbrici, maxime in pueris, et herniae in adultis, colica Pictonum, ileus, et pravae conformationes, in animo versanda sunt, quoties aegroti de viscerum malis queruntur. Vitia uteri saepe tactu deprehenduntur, tum quoque de iis conjectura fieri potest a sede doloris, et ex eo, quod aliquid habeant commune cum menstruis, graviditate, vel abortibus. Renum et vesicae urinae affectuum, indicio erunt, praeter locum doloris, urinae color, odor et crassitudo, cum cupiditate vel dolore mejendi; praeterea uteri atque renum vitia eo se produnt, quod parum aut nihil illis cum alvo commune sit. Ileus, seu inflammatio intestinorum, est morbus adeo acutus, et tot propria signa habet, ut vix erroris locus sit. Herniae quoque, nisi aegrotorum pudore, celari non possunt. Mucus copiosus, vel lumbrici cum stercore dejecti, clare indicant naturam istius angoris, qui vel ex his oritur, vel ex ea intestinorum valetudine, quae lumbricis gignendis favet. Colicam Pictonum, nisi aegrotus noverit se a plumbo laesum fuisse, conjectare quidem possumus, sed interdum vix certo scire, donec paralysis superveniat. Ulcera, atque glandulae scir-

rhoeae perturbabunt intestinorum officia, et interdum pus vel cruor dejicietur. Sive intestina, seu alia ventris viscera his vitiis occupentur, simul plerumque accedunt crurum tumores, motus arteriarum concitatus, macies, fastidium, et languor virium. Ut vero certissimi essemus, scirrhos, ulcera, connexus, aut alias viscerum pravitates subesse; inde tamen vix essemus edocti amplius aliquid moliri, quam levare subinde impetum malorum, quorum causam tollere non licet.

Praeter haec et dolores intermittentes, ventriculus et intestina saepe urgentur angore et molestia, ortis vel e debilitate istius facultatis, quae concoquit et digerit cibos et reliquias supervacuas expellit, vel e cibis alienis, vel nimiis, vel postremo ex cutis vitiis, aut doloribus capitis artuumve, imperita curatione vel sua sponte in viscera trajectis. Nervis intestinorum quomodocunque infirmatis, subsequuntur nausea, vomitus, alvus fusa, tenesmus, inflatio, sensus gravitatis, venter intentus, borborygmi, dolores spasmodici, difficultas urinae, atque acor acerrimus, qui exedit cuticulam earum partium, per quas humores sive vomendo, sive dejiciendo feruntur.

Ubi dolores viscerum repente invadunt, potiones meracae semper sunt alienae; ad quas tamen plerique homines protinus confugiant. Quoties e cibo nimio vel minus salutari nascuntur, oportebit aut vomere, aut alvum ducere, prout huc vel illuc morbus spectet; quibus factis, si dolores et dejectiones poposcerint, opium adhibendum est; deinde medicamentum amarum et aromaticum mane et vespere per paucos dies sumtum, quicquid laesum fuerit aut debilitatum, restituet. Dolores arthritici subito versi in viscera levantur opiato calefaciente, qualis est confectio opiata. Malis intestinorum levioribus, quae sanatis ulceribus veteribus, aut aliis vitiis cutis, quaeve doloribus artuum repulsis interdum nascuntur, commode medebuntur amara et aromatica. Videndum autem in his, et in aliis omnibus intestinorum affectibus, ut alvus quam tenerrima servetur. Doloribus intestinorum ab infirmo corporis habitu profectis saepe remedio erunt aquae Bathonicae, et vestis interior lanea; juvabit etiam pulvis ex amaris et aromaticis semel vel bis quotidie sumtus; cui pulveri adjiciendae

sunt, ubi alvus fusior est, tincturae opii guttae tres; ubi adstrictior, radicis rhabarbari grana tria. Dolores leviores, qui vix opii auxilium postulant, satis levabunt pauca cochlearia aquae menthae piperitidis, vel pannus calefactus, aut vesica semiplena aqua calida ventri admota. Affectus ventriculi et intestinorum adeo per omnia similes sunt, ut quicquid fere de his dictum est, aut de illis postea dicetur, utrisque pariter convenerit.

CAP. LV.

De ischuria et difficultate urinae.

Ad difficultatem urinae quidam nati atque apti videntur, eique subjecti fuerunt ab usque pueritia; ubi nullus fuit locus suspicando aut calculum, aut malum venereum subesse.

Pondus uteri gravidi iter urinae non raro intercludit; quod malum in aliis, corporis situ mutato, cessabit; in aliis autem, praecipue sub ultimis graviditatis mensibus, urina nunquam reddi potest sine cathetere. Calculus etiam vesicae urinam interdum supprimit. Morbus venereus varias urethrae noxas infert, unde graves et periculosae difficultates urinae oriuntur; quas candela saepe levatas, raro autem sanatas vidi. Haec mala, nisi fallor, identidem secuta sunt gonorrhoeas per quaedam infusa in urethram sanatas. In quadam adolescentula vomitus ter excitatus toties induxit ischuriam. Mulier quaedam post partum difficilem per triduum ne guttulam quidem urinae exprimere potuit; at cathetere immisso quinque librae urinae effluxerunt.

Difficultates urinae, quae modo memoratae sunt, sine vitio renum fiunt; periculosissima vero est ea morbi species, in qua renes ipsi prorsus otiantur, et nullum humorem ex sanguine eliciunt. In uno calculi renum insanabilem ischuriam intulisse visi sunt; quam tamen ab eadem causa provenisse in nemine alio suspicari potui: neque sane credibile est, ut saepe evenerit ambos renes aut ambos ureteres eodem tempore calculis obturari, et omnem urinae transitum

prohibere. In omni ischuria, etiamsi vix dubitare liceat vesicam esse inanem, et morbum esse in renibus, tamen, ut nullus errori locus sit, praestabit vesicam immisso cathetere explorare.

Simul cum ischuria fiunt modo veternus, modo summa jactatio, vomitusque, et singultus, febris, et dolores lumborum. His malis in uno aegro accessit stranguria: alii omni mejendi cupiditate caruerunt. Unicus ex iis, quos vidi, urinae saporem in ore questus est. Puto renes non cessasse urinam excernere, quamquam exitus illi praeclusus erat.

Urina ex toto suppressa fuit septem dies, et tamen aeger ex morbo emersit. Idem malum quarto die in mortem desiit. Plerumque vero factum est, ut quos morbus occidit, sexto vel septimo die decesserint.

Medicamentum quod habet olei terebinthinae rectificati guttas viginti, vel triginta, datum est quinta quaque hora, et simul ejusdem olei, vel kali acetati, semuncia bis quotidie in alvum infusa est; cantharidum quoque semigranum sumtum fuit quarta quaque hora, et aeger in balneum descendit quoties libuit: verum non est dissimulandum, licet pauci quidam his auxiliis visi fuerint servari, alios tamen iis omnibus frustra usos esse.

CAP. LVI.

De linguae atque oris dolore.

Carcinomata linguae et oris incipiunt ab exiguo tuberculo vel ulcusculo, quod serpit cum pungentibus doloribus, quemadmodum fieri consuevit, ubi alias corporis partes occupant. Haec, quibuscunque minantur, non injuste terrent. Attamen ne quis vano metu se excruciet, scitu utile est, dolorem ardentem in ore et lingua interdum permansisse multos menses sine quovis malo subsequente. Sapor amarus, acidus, putris, vel aereus, inficiens omnia, quae in os ingeruntur, plerumque habet initium a ventriculo male se habente, vel a remediis mercurialibus. Viro cuidam, qui nunquam hydrargyro usus fuerat, omnes cibi, quos-

cunque caperet, visi sunt inquinari sapore aeris adeo nauseoso, ut omnia fastidiret, et corpus viresque amitteret. Remedium e testarum ostrearum semidrachma, radicis gentianae granis quatuor, pulveris aloës cum canella grano dimidio, mane et vespere sumtum, brevi restituit gustum et cupiditatem cibi naturalem.

CAP. LVII.

De lipothymia, sive defectione animae.

Defectio animae est mors brevis; et saepe accedit lumbricis in puerili aetate, et tussi convulsivae in adultis. Eidem opportuni sunt paralytici et epileptici, hypochondriaci, et hystericae, atque praegnantes. Febres interdum ab hac incipiunt. Feminae autem ei multo subjectiores sunt, quam viri. Nonnullos ex improviso invadit; in aliis accessionem antecedunt dolores, palpitationes, sensus plenitudinis a ventriculo ad caput ascendens, caligines, scintillulae, aut flammulae ob oculos, distensiones et dolores viscerum, vertigo, sudores gelidi, tremores, inflatio, et ructus crebri.

Qui diutius pedibus insistunt, maxime post exercitationem, tergo obverso igni luculento; quive genibus nituntur; qui res injucundas contemplantur, aut olfaciunt; hi omnes, quamvis integrae valetudinis, non raro concidunt et animo linquuntur. Proprium fere est epilepticorum, ut mane expergiscentes fiant intermortui et exanimati.

Interdum usu venit, ut idem saepius animo linquatur, brevibus interpositis spatiis. Sunt qui vomendo ad se redeunt, vel dejiciendo, vel eructando, quique ad breve tempus queruntur vertigines: alii quamprimum resipiscant, omnino recte valent.

Remedia exinanientia cujuscunque generis nocent iis, qui obnoxii sunt huic affectui. Lavatio frigida profuit, ubi nullus alius morbus fuerit praeter animae defectionem: quodsi initium habuerit ab alio morbo, hoc sanato ipsa finietur. Raro fit, ut anima diutius deficiat, et ut aeger sine auxilio se colligere

nequeat. Sales volatiles naribus admoti, fricationes corporis per pannos calidos, et quaedam in alvum infusa, utilia erunt, ubi quis diu jaceat intermortuus. Sanguinis missio est prorsus aliena.

CAP. LVIII.

De dolore lumborum.

Lumbi sunt sedes multorum dolorum a multis diversis causis oriundorum; in his numerantur arthritis, rheumatismus, distensio musculorum repentina omnis motus impatiens, quae biduum triduumve perseverat, gonorrhoea, profluvium album, calculi atque ulcera renum, ulcera uteri, graviditas, et instans abortus. Cognovi quendam dolore hujus partis quinquaginta annos vexatum; verum hic longus dolor non erat admodum saevus. Aliam curavi, quam dolor atrox lumborum cruciaverat integrum septennium, motu adeo auctus, ut aegra toto hoc tempore vix unquam curru vehi sustineret, et saepe non sine summo cruciatu ex uno conclavi in vicinum portaretur. Natura hujus mali in obscuro erat: nullum enim vitium tactui aut oculis patebat; neque causa ejus detegi potuit vel ex partium vicinarum perturbatione, vel ex effectu medicamentorum, quae adhibita fuerant. Haec aegra tandem convaluit.

Auxilia hujus doloris sunt vel quae conveniunt morbo, a quo dolor pendet, vel quae supra proposita sunt in capite, quod inscribitur *de dolore.*

CAP. LIX.

De lumbricis.

Praeter ascarides [1], et lumbricos teretes, et duas species lumbricorum latorum, alia fortasse animalcula sunt, quae, cum cibis in ventriculum demissa, vivere intus in corpore et genus suum multiplicare possunt.

[1] De his dictum est cap. 10.

Mala, quae ex his oriuntur, quaeque his expulsis fiunt, sunt dolores capitis, vertigo, torpor, somnia tumultuosa, somnus terrore et clamore abruptus, distensiones nervorum, febricula, sitis, pallor, sapor malus in ore, anima foetida, tussis, spiritus angustus, prurigo nasi, dolores ventriculi, nausea, fastidium, cupiditas cibi nimia, macies, tenesmus, prurigo ani vespere, postremo pelliculae et mucus dejectus.

Taeniae, seu lumbrici lati, gravissima damna corpori afferunt: teretes et ascarides interdum laterent vix suspecti, nisi foret ani prurigo, et nisi stercore ipsi reperirentur. Taeniam vidi quatuor ulnas longam, quae ex alvo expulsa erat. Lumbricus cucurbitinus videtur esse multorum series, quorum unus a reliquis disjunctus interdum vivus prodit. Lumbrici teretes usque in os ascenderunt; atque etiam vixerunt biduum triduumve postquam exiissent. In duobus, quos vidi, aegris, locus erat suspicando lumbricum cucurbitinum intulisse accessiones epilepticas, maniam et fatuitatem.

Molestum est quod remedia innumerabilia contra lumbricos circumferuntur; quod quidem documento est, nullum nobis cognitum esse, cui certo confidere possimus. Oleum terebinthinae rectificatum, aqua in qua folia nicotianae decocta sunt, et mercurialia, certo sunt exitio plerisque animalibus, quae extra corpus sunt; tamen eadem in alvum infusa nihil prorsus profecerunt ad ascarides; quas, uti reliquos intestinorum vermes, mucus copiosus, quo circumdantur, praestare videtur a vi quorumcunque medicamentorum securas. Quamobrem, donec certius remedium adversus lumbricos inventum fuerit, nihil magis juvabit, quam quae leniter alvum solvunt, et facile feruntur, et tuto sumi possunt diutius. Auxilio erunt amara quoque, vel cum his mista, vel interpositis spatiis data, non tam quia nocent lumbricis, quam quod ventriculi et intestinorum vires sustinent. Aquae libra, cui adjectum fuit salis marini quantum in aqua dissolvi maximum potuit, ad lumbricos expellendos semel atque iterum fuit efficacissima [1].

[1] Vide Medical Transactions, vol. I. 54.

CAP. LX.

De glandulis lymphaticis.

Emplastra cantharidis solent tumefacere glandulas lymphaticas vicinas parti, cui admota sunt; qui tumor plerumque brevi subsidit. Semel tamen brachium universum ex hac causa tumere diutius perstitit. Hujusmodi emplastrum capiti admotum in non paucis aegris adeo impedivit lymphae cursum, ut frons tota in tumorem ingentem assurrexerit biduum manentem; qui deinde sensim descendit in genas, mentum, et collum, priusquam ex toto desineret.

In vetula, quae valetudinis erat ceteroquin non incommodae, et cujus mammae nullo morbo tentabantur, lymphaticae glandulae in axilla coeperunt tumere, et deinceps brachium universum et manus in immensum tumuerunt; tamen nullum impressi digiti vestigium servabant: ipsa vero ex hoc casu brevi mortua est. Item juvenis cujusdam caput pectusque in magnam molem attollebantur, digito non cedentem; venae pectoris inflatae erant; maxillae dolebant, vigilia erat, et spirandi difficultas; vix sustinebat jacere, et post paucos menses extinctus est.

CAP. LXI.

De mammis.

Lac non cessavit mammam alteram, vel utramque implere per menses quatuor, quinque, sex, septem, atque etiam annum integrum, postquam infantes remoti fuerant. Quaedam nutrix incidit in variolas, et cum morbus ad summum pervenisset, lac mammas destituit; variolis autem inclinatis, lac brevi uberius restitutum est. Feminae quadragenariae mammae coeperunt tumere, et mox lacte impletae sunt, quod per tres menses exstillabat; protinus vero ut lac in mammas fluere desiisset, mulier haec e viro suo concepit, qua per sex annos gravida non fuerat.

Saepe fit in puerperis, et interdum in aliis, ut mammae inflammentur, et suppurent, et late exulce-

rentur. Cutis et membrana adiposa sunt sedes hujus affectus, qui brevi et facile sanatur, et prorsus diversus est ab illo, in quo glandulae fiunt scirrhosae, et spectant ad carcinoma.

Mammae intentae, cum exiguo vel nullo dolore, accedunt graviditati, et menstruis fluentibus, aut suppressis, aut aliter inordinatis. Interdum quoque dolent mammae cum exiguo vel nullo tumore, qui dolor, quamvis diutius maneat, tamen nullius est momenti, dummodo nulla fuerint tubercula. Ictus levis excitavit hujusmodi dolorem, qui deinde perseveravit decennium sine quovis alio malo. In non paucis accessit dolor sine quavis manifesta causa; et interdum post annos duodecim sua sponte finitus est. Videndum est, ne dolor exasperetur vestibus nimis arcte mammas constringentibus; et interea ut alvus satis tenera servetur.

Destillatio seri vel flavi vel cruenti excepta fuit carcinomate mammae: verum hoc non est perpetuum: nam humor exiguus, aut etiam sanguis, multos annos perstitit exire, et simul papilla intus retracta est, sine quovis malo subsequente. Scirrhus, seu tuberculum durum, utcunque minutum, non sine metu in mamma percipitur: nunquam enim novi carcinoma, quod non ab hoc inceperit. Tamen contigit aliquando scirrhus sine carcinomate subsequente, maxime ubi nullus fuerit dolor, aut tumor, aut destillatio e papilla. Saepe enim tuberculum casu deprehensum est, et forsitan diu latuerat in mamma, quae ceteroquin prorsus sana erat. Quamdiu scirrhus neque dolet, neque augetur, praestat abstinere ab omnibus extrinsecus remediis, neque juvabit calore praeter consuetudinem mammam fovere. Medicamenta quoque intus data supervacua sunt; sed a victu salubri et moderato unicum praesidium petendum est. Tumor mammae scirrhosus interdum ultro subsidit; quod plus semel vidi. In quadam muliere ea erat scirrhi conditio, ut futuri carcinomatis metum incuteret; itaque re probe perpensa praestabilius visum est eum excidere; nescio quo casu interveniente, mora aliqua facta est, et tumor aliquantum minui et mollescere coepit; neque profecto cessavit, donec penitus consumtus est. Perpaucis vero contigit esse tam felicibus; quamquam scirrhus mammae in multos annos non raro tumore

ac dolore vacet, maxime ubi natus est ante aetatis annum trigesimum. Circa annum quadragesimum, aut serius, tubercula dura frequentissime oriuntur in mammis, et plerumque non sine periculo. Memini tamen glandulam mammae in septuagenaria induruisse in scirrhum, qui neque dolebat, neque ullo modo molestus erat, nec videbatur quicquam habere commune cum morbo, qui finem vitae attulit. Binos curavi viros, in quorum mammis scirrhus factus est, prorsus similis illius, quem inter mulieres quotidie videmus. Alteri horum mamma fieri coepit carcinomatosa, et prospere abscissa est.

Cum tumor hujus partis durus coeperit pungentibus doloribus urgeri et crescere (quo quidem statu multos annos permanere potest, priusquam exulceretur), medicamenta et extrinsecus et intus multa adhibita sunt, ut malum cohiberent et tandem solverent. Verum in his omnibus, meo judicio, parum aut nihil opis fuit, vel ad dolorem leniendum, vel ad solvendum tumorem. Tamen in una atque altera succus cicutae aliquid profecisse existimatus est. Quodsi concedamus cicutam his aegris interdum profuisse; at procul dubio spem medicorum toties fefellit, ut nequaquam operae pretium fuerit in ejus usu diu persistere, et sinere ut multum pretiosissimi istius temporis frustra abeat, postquam tumor spectaverit ad exulcerationem. Hoc enim est tempus opportunissimum ad excidendum tuberculum adhuc modicum, quod proinde fiet sine multo dolore, et cum magna spe vulnus facile sanandi; praesertim ubi, mamma nondum graviter affecta, valetudo corporis vix aut ne vix laesa fuerit. Ubi morbus est sanabilis, nisi me omnia fallunt, hoc erit praesentissimum auxilium. Quodsi malum intra mammam sese non continuerit, verum totus corporis habitus affectus sit, haud tamen crediderim morbum vel citius, vel certius, vel majore cum dolore in mortem desiturum esse, propterea quod hoc remedium, quod unum supererat, tentatum fuerit.

Sin aegrotae timiditas non sinit scirrhum tempestive excidi: vel si ob moram factam in experiendis remediis magni nominis et nullarum virium morbus spatium habuerit ad occupandam mammam universam, cum exulceratione, et doloribus mammae

ipsius, tam reliqui corporis; si febris hectica sit, macies, fastidium, debilitas; ad quod malorum fastigium modo paucis annis, modo intra paucos menses pervenitur; sic aegrotantem salus ipsa, si cuperet, servare vix posset. In re tamen tam deplorata non est prorsus desperandum, modo scirrhi axillam non adeo occupaverint, ut excidi non possint: tempus admovendi scalpelli tantum non praeteriit: nam ex his periculis aegram ad chirurgi auxilium prospere confugisse novi. Non dissimulandum est scalpellum tam sero invocatum plerumque esse supervacuum; cum saepe vulnus vel nunquam consanescat, vel postquam consanuerit, novi scirrhi nascantur. Nihilominus dolor abscindendae mammae pensabitur emolumento, quod et ipsa et assistentes capient, sublata tam putri carne.

Ubi carcinoma altas egerit radices in axilla, totumque brachium, impedito lymphae cursu, intumuerit, cum cibi fastidio, macie, debilitate, spirandi difficultate, et aliis instantis mortis signis, nihil tunc moliri potest medicus, nisi ut remediis opiatis leniatur dolor, somnusque inducatur, et ulcus purum servetur. Ad hoc utile erit saepe quotidie ulcus abluere aqua aëre, qui fixus vocatur, plena, vel imponere cataplasma ex radicibus dauci hortensis, eodem aëre refertis. Notatu dignum est gradum doloris in diversis aegris esse admodum diversum; in aliis gravissimus videtur; in aliis levis, atque nullius momenti.

CAP. LXII.

De menstruis.

Omnes norunt, quantum commercium habeat menstruum feminarum profluvium cum valetudine. Quilibet morbus paulo gravior consuevit perturbare ordinem hujus profluvii; quae perturbatio aut suppressio, si diuturnior sit et sine graviditate, valetudinem semper corrumpit. Crediderim tamen menstrua inordinata saepius esse effectum, quam causam aliorum morborum.

Menstrua pleramque incipiunt inter duodecimum et decimum quintum annum: tamen levem sanguinis uterini cursum quaedam puellae expertae sunt nono, octavo, aut etiam quinto anno. Verum haec praecocia profluvia semel tantum aut bis facta sunt: nunquam ea novi singulis mensibus redire, ubi coeperint ante decimum annum. Hujusmodi praematurae sanguinis eruptiones nihil nocent, neque ullum remedium postulant praeter quietem.

Quamquam menstrua justa tempestate fluere inceperint, saepe tamen fit, ut per annum unum et alterum inordinate redeant, neque certum circuitum, nec modum servantia. Ubi hoc fit, aut ubi fluere morantur duos tresve annos post consuetum pubertatis tempus, praestat cunctari, et rem naturae permittere potius, quam praepropere ad medicinam confugere, ubi nullus morbus est. Etenim cum jam vires corporis in dies augeantur, spes est naturae ipsius beneficio ea in ordinem reductum iri, priusquam valetudo coeperit vitiari. Quinetiam postquam mulieres ad aetatem maturiorem pervenerint, corpus universum perturbabitur, quoties menstrua sunt multum inordinata; leviores tamen horum errores, nimirum ubi paucos dies vel serius vel ocyus proveniunt, parum aut nihil officiunt sanitati.

Corporis interdum iste habitus est, ut non solum abortus, partusque crebri et difficiles, sed etiam terror, animi angor et lenis exercitatio immodicas sanguinis uterini profusiones faciant; quas etiam secuti sunt dolores graves in capite, dorso et visceribus, et summa debilitas. Interdum quoque sine quavis causa manifesta, menstrua modum consuetum excedunt, vel quod nimis saepe redeant, vel quod diutius aut copiosius ferantur. Hujus generis profusiones menses aliquot perseverarunt, vel etiam tantae fuerunt, ut de vita ipsa metui coeptum sit. Verum, praeterquam in gravidis aut parturientibus, plerumque plus terroris quam periculi injiciunt. Etenim inter innumeras feminas, quas profluvio uterino laborantes vidi, binas tantummodo memini, quibus, licet non essent praegnantes, sanguis cohiberi non potuit, donec vita cum eo effluxisset.

Menstrua plerumque minuuntur inter quadragesimum et quinquagesimum annum, et interdum per men-

sem unum aut alterum prorsus desiderantur; cum vero ad hunc modum inordinata fuerint in annum aut biennium, tandem ex toto desinunt. Haec fere est norma naturalis, ad quam sanguis uterinus demum subsistit. Attamen interdum fit, ut menstrua et saepius et abundantius fluant tum, cum prope sunt ad finem: neque sane alio tempore, si excipiamus graviditatem, sanguinis profusiones tantae tamque periculosae ex utero fiunt.

Feminae juniores interdum experiuntur uterinum sanguinem et crebrius justo et copiosius fluentem; sed multo magis opportunae sunt menstruis parcioribus, et tardioribus, et suppressis.

In causis menstruorum suppressorum numerantur crebrae sanguinis missiones, et terror, et, si mulieres ipsas audiamus, pedes aqua frigida diutius madefacti menstruorum tempore. Post partus difficiles frequens est menstruorum profusio; interdum tamen ex hoc casu diu manserunt suppressa, maxime si lac non desinat in mammas fluere; quod interdum factum est multos menses postquam infans remotus sit, vel etiam ubi femina infantem haud omnino lactaverit. Morbus aliquis, aut prava uteri conformatio, in quibusdam fortasse fecerint menstrua vel inordinata vel suppressa, maxime in illis, quibus nunquam fluxerunt. Verum saepissime supprimi videntur ex quadam valetudine antecedente, unde vires vitae deficiunt, et corpus debilitatum exhaustumque utero sanguinem suppeditare non valet. Menstrua, quae singulis mensibus redire consueverunt, si febris incidat, fere semper supprimuntur. Quae etiam phthisi pulmonum occupantur, per aliquot menses antequam moriantur, nullum sanguinem ex utero effundunt.

Suppressis menstruis, nisi id ab aliis prorsus morbis pendeat, oriuntur dolores et pondus capitis, vertigo, pallida et simul tumidior facies, inflatio, nausea, fastidium, cruditas, dolores ventriculi et viscerum, gravitatem mentientes, dolores pectoris, lateris, dorsi et genuum, tumores crurum, macies, torpor, subiti calores, lassitudo, animae defectio, tristitia, atque mala hysterica omnis generis. Interdum profluvium album vice menstruorum functum est, singulis mensibus constantissime rediens; interdum quoque, sed multo rarius, sanguis vomitur, vel a naribus de-

stillat, et menstruum circuitum servat. Steriles sunt, quibus menstrua nulla proveniunt: quaedam tamen concepit, quae bis tantum in anno menstruis purgabatur.

Quamquam sanguis uterinus justum modum servet, et ordinate revertatur, tantus tamen interdum dolor est, quantus nullo alio menstruorum vitio excitatur; verum adversa valetudo inde non contingit. Hic dolor primo die plerumque accedit, et nonnunquam intra sex horas finitur; adeo autem saevus est, ut mulier e lecto surgere prorsus non possit. Bis terve novi illum non ante secundum diem invadere. Quandam stranguria ultimo semper die vexabat. Dolores capitis, artuum, lumborum, ventriculi et mammarum (quae hoc tempore tument), cum nausea, tenesmo, et omnigenis malis hystericis, nonnullas mulieres exercent per totum menstruorum tempus.

Menstrua plerumque inter quadragesimum et quinquagesimum annum desinunt. In paucis id factum est ante annum quadragesimum; in una vero ante trigesimum; neque exitus hic intempestivus impediit, quominus valetudo bona esset usque ad senectutem. Nonnullae perrexerunt menstruis purgari usque ad annum sexagesimum. Menstrua facta sunt inordinata modo paucos menses, modo aliquot annos, antequam ex toto desierunt. Atque etiam postquam conquieverint tres aut quatuor annos, de integro fluere coeperunt. Corpus, tum, cum menstrua parant in perpetuum abire, majorem in modum videbatur laborare, et minus valet morbos aut veteres cohibere, aut depellere novos; qui proinde hoc tempore praecipue ingravescunt, curatuque difficillimi sunt. Itaque arthritis, et mania, et cutis vitia quae diu latuerant, hanc nacta occasionem, de valetudine jam infirma facile triumphant, et stabile imperium constituunt.

Credibile est menstrua in plerisque feminis sic exarescere, ut neque alantur neque gignantur quivis affectus, qui medicinae opem postulent. Attamen quaedam haud pauca mala experiuntur, dum natura molitur hanc insignem corporis muliebris mutationem. Etenim sanguinis ex utero profusiones nimiae non alio tempore magis exercent; et, quamquam non sint illico mortiferae, tamen semper terrent; quin intulerunt tumorem hydropicum crurum, aut abdomi-

nis, aut corporis universi, et conquassatam valetudinem; e quibus malis mulieres semper aegre, interdum nunquam emergunt. Neque raro accidit, ut cum his profluvium album conspiret ad vires exhauriendas. Denique tantam debilitatem veternus, torpores et resolutiones secutae sunt. Distensiones quoque membrorum et vagi dolores hoc potissimum tempore molesti esse solent; nescio an tum praecipue cum multus sanguis effusus est: nam eadem mala ex aliis sanguinis profusionibus oriuntur. Ad haec saepe accedunt vertigo, et spirandi difficultas, et tota cohors hystericorum affectuum. Sed nulla corporis pars magis laborat in iis, quae incipiunt fieri vetulae, quam intestina, quae tunc saepe affliguntur doloribus, nausea, fastidio, ardore, inflatione, sensu plenitudinis, tenesmo et haemorrhoidibus. Postremo crura inflammationi et malis ulceribus opportuna sunt. Minime mirum est, nonnullas tot tantisque miseriis fractas succumbere: verumtamen aliae, postquam paucos annos cum pessimis ex his malis conflictatae sint, feliciter assurrexerunt, et in integram sanitatem restitutae sunt. Quae, menstruis in perpetuum finitis, aut liberae fuerunt ab his malis, aut ea superarunt, nescio an non valetudinem firmiorem habeant et diutius supersint quam viri, qui ejusdem sunt aetatis.

Postquam menstrua tempore consueto defecerint, et per aliquot annos substiterint, ex insperato quasdam feminas reviserunt, sexagesimo, septuagesimo, atque etiam octogesimo anno; nimirum, ubi conquievissent viginti vel triginta annos. Interdum quoque singulis mensibus repetiverunt. Plerumque vero haec intempestiva profluvia neque ordinate revertuntur, neque modum ullum servant, et nonnunquam cum profluvio albo contingunt. Uterina purgatio praeter sortem senectae postliminio rediens, perseveravit septem annos, integra, ut visum est, valetudine. Verum non raro initium habuit ab ipsius uteri vitio. Si hujusmodi profluvio accedant dolores graves circa os pubis, coxas et lumbos; et in ejus decessionibus mali odoris humor, coloratusque destillet; justa erit suspicio ulceris uteri, quod mox fiet insanabile carcinoma.

Ubi sanguis oritur a secundis vel fetu uterum distendentibus, et impedientibus ne venae collapsae

cursum ejus cohibeant; tunc illud, quicquid sit in utero inclusum, ante omnia ocyssime extrahendum est. At si nihil hujusmodi fuerit, quies imperanda est, cavendumque a calore ignis, aut cibis potionibusve qualibuscunque calefacientibus; alvus tenera servanda est; et saepe sorbillanda sunt quae habent succum limonum vel acidum vitriolicum. Syrupi papaperis albi drachmae duae aut plures multum saepe conferent ad levandam jactationem et sollicitudinem, quae morbum haud mediocriter augent. Cortex peruvianus praecipuum locum obtinuit inter remedia, quae contra hos affectus prosunt; item alumen, et gallae quercus, aut cortex ejusdem, modo cum cortice peruviano modo sine illo, dantur. Si profecto id persuasum haberem, famam horum medicamentorum ab usu natam esse; nihil morarer, quicquid ratio, utcunque speciosa, contra ostenderet: verum si ideo nobis commendata fuerint, quia sensuum judicio habent facultatem adstringendi; jure potest dubitari an ex ista facultate sperandum sit sanguinem cohiberi posse, cum ad ipsum locum pertingere nequeunt, donec multorum humorum copia mista fuerint ac diluta. At qualis demum illis restabit adstringendi vis, cum medicamenta ipsa, contrita atque imposita super vulnusculum ab hirudine factum, sanguinis cursum sistere vix valent! Crediderim parum auxilii esse in sanguinis missione, ob rationes alio loco allatas [1]. Scrupulus aluminis saepe tuto datus fuit quotidie: memini tamen me vidisse quinquagenariam, cujus venter et naturalia, ut audivi, admodum intumuerant, adeo ut vagina fere clauderetur; idque, ut ipsa suspicabatur, propterea quod ad sanguinem uterinum cohibendum semiscrupulus aluminis quotidie sumtus fuerat: verius forsitan ad adversam suam et conquassatam valetudinem, quam ad alumen tumor esset referendus. Cerussae acetatae grana quatuor sanguinis uterini profusionem intra quatuor horas suppresserunt in femina, quam ipse postea curavi colica saturnina vehemente ac diuturna afflictam: propter quem certissimum plumbi effectum, omnes ab ejus usu abhorrere debent. Alteri menstruis nimiis laboranti datae fuerant tincturae saturninae guttae

[1] Medical Transactions, vol. II, nu. 4.

triginta, quae mox eadem colica, verum mitiori, torqueri coepit, et diu male habuit. In haud paucis aquae chalybeatae profluvium auxerunt: idem fecerunt flores chamaemeli; atque etiam, quod non putavissem, in lecto conquiescere.

Morbus huic contrarius, nimirum ubi menstrua aut parciora sunt, aut ex toto suppressa, initium saepe habet ex aliis morbis, quorum remedia huic quoque vitio optime medebuntur. Verum ubi nulla alia adversa valetudo est, quam quae ex menstruis fit parcioribus aut subsistentibus, ibi veterum medicorum et recentiorum experientia praecepit uti medicamentis acrioribus, amaris et aloëticis, quorum compositiones in omnibus medicinae libris reperiuntur. Radix hellebori nigri facultatem movendi menstrua sibi vindicavit, quam tamen nullo satis firmo argumento usus mihi confirmavit. Nullus autem dubito, quin flores chamaemeli in nonnullis feminis, quamquam perpaucis, menstrua ciere valeant. Etenim plus semel novi flores hos intus datos sanguinem ex utero, utcunque alieno tempore, certissime elicuisse. Lavatio tepida, pedes in tepidam demissi, et vapor aquae calidae naturalibus exceptus per horam quotidie, menstruas purgationes haerentes interdum expedierunt; easdem quoque movit electrificatio. Dolendum autem est menstrua tarda, parca, aut suppressa, his omnibus auxiliis saepenumero parum respondisse.

Dolores, qui menstruis instantibus, vel fluentibus, oriuntur, tuto leniuntur opio. Itaque mulieres, quae illis opportunae sunt, debent semper in promtu habere semigranum vel granum opii, sumendum protinus ut dolor ingruat, et, si opus fuerit, semel aut bis, interposita semihora, repetendum. Neque opium hoc modo datum purgationem istam cohibuit, aut omnino perturbavit. Quodsi a stomacho aegre fertur, commode infunditur in alvum. Quinetiam tinctura opii ventri illita vi anodyna non fuit destituta. Lavatio tepida, et vapor aquae calidae naturalibus exceptus per paucos dies ante menstruorum accessionem, non contemnendo fuerunt auxilio; nec non utiles fuerunt aquae Bathonicae.

Siquidem menstrua justa aetate deficiant et tandem ex toto cessent, atque interea mulier commode valeat, ab omni malo graviore libera, nihil opus erit

medicina. Plerumque sane natura satis opis in se habet ad sanguinem uterinum, ubi tempus fuerit, amovendum, sine ullo tumultu, qui alienum auxilium postulet. Nemini vero in hoc casu nocebit ventrem servare teneriorem, sumto identidem medicamento aliquo leniter purgante. Quodsi quam menstrua ex improviso deserant, et vel ob hanc, vel ob aliam quamlibet causam eo tempore invadant dolores capitis, vertigo, lethargus, vel torpores et sensus gravitatis, oportebit sanguinis sex uncias detrahere per cucurbitulas super scapulas singulis mensibus impositas, quamdiu haec mala perseverent. Aliis morbis, si qui forte inciderint, propria sua remedia sunt adhibenda. In malo corporis habitu, ubi verenda sunt aut cutis vitia, aut carcinoma, vel resolutiones, utile erit ulcus, in aliis id tuto potest omitti.

Vetulas interdum revisit menstrua purgatio, postquam diutius finita esset; et est vel nimis profusa, vel signum ulceris aut carcinomatis in utero; quibus malis auxilia, quae supra exposui, sunt admovenda. Quodsi menstrua consueto tempore deficientia, et multos annos intermissa, coeperint renovari, circuitumque certum servent, et non inordinata sint, res tota naturae permittenda est, nullis medicamentis interpellatae.

CAP. LXIII.

De morbillis.

Collecturo mihi quae de morbillis annotaveram, in animo est, primum tradere historiam cujusdam aegrae, quae hoc morbo maxime germano laborabat, et in qua propter cutis pulchritudinem licebat ruboris et macularum accessionem decessionemque accurate notare; deinde recensebo varietates, quae in aliis bene multis aegris observatae sunt.

Die primo. Aegra hodie coepit leviter inhorrescere; cibi cupiditas minor erat, non sine quadam nausea; pulsus erat concitatus; dolores quoque vagi erant, sitis nonnulla, tussis arida; nulla autem ster-

nutamenta, nullae lacrymae, nullus palpebrarum rubor.

Die secundo. Ajunt noctem fuisse mediocriter tranquillam. Fastidium cibi manet; pulsus idem ac heri, atque etiam tussis.

Die tertio. Nihil fere novi.

Die quarto. Maculae dilute rubentes manifestae sunt infra mentum. Febris, jactatio et fastidium augentur. Tussis haud pejor. Oculi minus impatientes lucis. Vomitus nullus. Facies ardet et praeter consuetudinem rubet.

Die quinto. Maculae subrubrae rarae in mento et facie, multo autem magis rubrae in collo et pectore. Figura macularum nequaquam certa est et definita. Febris et tussis manent. Nullae adhuc sunt notae morbi in brachiis et manibus.

Die sexto. Maculae faciei paululum super cutem eminent, sic ut tactu aspretudo levis sentiatur. Hae maculae constant e pluribus pustulis exiguis, semine milii minoribus. Nunc primum maculae in brachiis conspiciuntur. Febris, et jactatio, et morositas augentur. Tussis haud parum molesta; tamen sine difficultate spirandi. Oculi sunt debiles, et palpebrae tument. Cibi omnes fastidiuntur. Vespere omnia mala exasperabantur, non sine levi spiritus angustia. Maculae faciei vivide rubent. Heri menstrua alieno tempore fluere coeperunt, et manserunt in horas quatuor et viginti. Hodie vena incisa est cum levatione morbi.

Die septimo. Nox hesterna paulo pacatior: febris tamen et jactatio sunt fere eaedem. Maculae in facie minus rubent. Prurigo cutis accessit satis molesta.

Die octavo. Mala omnia minuuntur, et cupiditas cibi coepit redire. Notae morbi sunt pallidiores. Languor et febris aegram subinde male habent.

Die nono. Nox tranquilla acta est; et robur corporis animique aliquantum instauratur. Febris tamen, et jactatio, et languor identidem incursant; quae omnia sanguinis missione levantur.

Die decimo. Nox satis pacata. Maculae ex toto abierant; et vix ulla febris indicia restant.

Die undecimo. Tussis nondum prorsus conquievit.

Die duodecimo. Somnus et cibi cupiditas restituuntur. Tussis tamen levicula paucos dies mansit;

quae sanguinis missione primum minuta, brevi postea finita est.

Absoluta hujus aegrae historia, transibo ad varietates, quas in aliis non paucis eodem morbo occupatis observavi.

Principio, quibusdam morbillosis oculi sunt lacrymis suffusi, et lucis minus patientes, biduum priusquam morbi signa in cute conspiciuntur; porro idem acer humor saepe depluit in nares, et movet crebra sternutamenta. Tussis plerumque incipit esse molesta duos tresve dies antequam pustulae nascuntur; interdum dies septem aut plures praecedit, qui mos erat hujus morbi anno 1753, tum temporis epidemii. Dolores faucium, capitis et dorsi in signis morbillorum numerati sunt; et memini quendam summe excruciatum dolore dorsi, qui perseveravit biduum postquam pustulae prodierant. Nausea, et vomitus, et cibi fastidium accesserunt ipso morbi initio, nec multo ante finem ejus desierunt; hoc tamen rarum est. Nonnullis res adeo bene cessit, ut a febre et ab omnibus fere malis liberi fuerint; neque se in morbo esse suspicati sint, donec illius notis cutis ruberet. Quo graviora fuerint signa antecedentia, et quo diutius manserint, eo pejor fuit morbus.

Die primo. In uno atque altero morbilli ipso primo die brachia occupaverunt, paucis tantummodo horis post faciem et collum. Cum tamen hoc tam raro contigerit, fieri potest, ut in paucissimis illis, quibus hoc obtinere visum est, morbilli revera faciem opinione diutius occupavissent. In quodam nec tussis nec sternutamentum accessit, nisi ipso pustularum die. Morbillis exeuntibus aeger non levatur, quemadmodum fit in variolis. In quodam salivae profluvium hoc primo die factum est, et biduum perseveravit, neque aegrum sivit interdiu conquiescere, aut noctu dormire; tussis interea fere cessavit, et morbus cursum suum confecit sine quolibet signo graviore.

Die secundo. Raro, vel nunquam fit, ut notae morbillorum, quae secundo die in brachiis et manibus conspici solent, non ante diem tertium in his locis nascantur. Ubi hoc fieri visum est, crediderim erratum fuisse in definiendo die, quo coepissent exire. Semel atque iterum morbus brachiis pepercit,

quae per totum ejus spatium nec maculata fuerunt, neque rubuerunt. Hodie morbilli maxime vigent in facie: mala tamen inde non levantur, sed potius augentur. Saepe cursus sanguinis e naribus hoc tempore accedit, aut alvus fluit, quod, si non prosit, certe non est perniciosum. Interdum palpebrae adeo intumuerunt, ut per horas quatuor et viginti aperiri non potuerint.

Die tertio. Pustulae plerumque vigent in aliis partibus, in facie incipiunt minui. Nonnunquam tamen etiam in facie color macularum nondum mutatur. In aliis non solum morbi notae, quae in cute sunt, sed omnia fere ejus signa decesserunt. Verumtamen tussis et febris in plerisque adhuc perseveraut; et si pauci senserint se aliquantum recreari, alii contra magis languerunt. Ubi oculi lacrymis abundarunt, et palbebrae multum rubuerunt, et hae et illi in pristinum statum nondum restituti sunt. Semel vidi sternutationem hoc die incidisse molestissimam. Puer quinquennis, hoc morbi tempore lethargicus factus, die postero extinctus est.

Die quarto. Notae in omnibus fere morbillosis sunt pallidiores in facie; item in quorundam brachiis et pectore: in aliis brachia adhuc saturrime rubent. In facie quoque unius et alterius color rubicundus permansit. Quibus vix ulla morbillorum vestigia supersunt, ii etiam ceteris in rebus belle habent: tussis vero et febris illos magis exercent, in quibus maculae nondum pallent. Modo tussis minuitur; modo tussis et febris admodum urgent. Lacrymae nunc fere subsistunt, praeterquam in illis, quorum oculi vel natura sunt debiliores, vel morbillis majorem in modum laesi, diu postea male habent. Sternutamenta in hunc diem perseveraverunt, sed non nisi rarissime. Facies jam fit furfurea cum prurigine, quae prurigo brevi cutem universam infestat, et est praecipuum vel unicum malum. Hoc die menstrua ante consuetum tempus profluerunt.

Die quinto. Rubor macularum admodum dilutus est et in facie, et in brachiis; tamen in quibusdam facile percipitur; in aliis prorsus decessit. Cibi cupiditas redit, et morbus jam fere finitur. Quo magis pallent morbillorum notae, eo melius valent morbillosi. Tussis in plerisque mitior est, in quibusdam prorsus conquiescit: alios autem pergit vexare diu

post morbum finitum. Menstrua etiam hodie tempore non suo fluere coeperunt.

Die sexto. Morbi vestigia adhuc manent in brachiis paucorum aegrorum, atque etiam in facie, non sine tussi, sternutamento, raucitate, et febre. Semel atque iterum vidi quasdam reliquias macularum etiam decimo die. Verum hoc sexto die omnes fere e morbo evaserunt, praeter infelices illos, in quibus febris circa hoc tempus adeo non mitescit, ut in horas crescat donec occidit. Qui ex hoc praesente periculo subtrahuntur, interdum pulmones in tantum afflictos habent, ut tussi diu fatigati in tabem tandem incidant. Oculorum debilitas, palpebrarum inflammationes, tumores glandularum, atque alia strumae signa, morbillos interdum secuta sunt. Incertum morbilline ea mala genuerint, an semina eorum, quae diu in corpore latuerunt, hac data occasione exierint. Fieri etiam potest, ut struma hoc praecipue tempore manifesta, ad alias prorsus causas referri debeat, et, quamvis non fuissent morbilli, hominem nihilo secius occupavisset.

Sanguinem nullo non die morbillorum detrahere licet; et ubi aeger vehementius laborat, semper juvit, tum maxime ubi accesserit spirandi difficultas, cui morbillosi per totum morbum subjectiores sunt. In sanguinis autem missione, et istis remediis, quae propria sunt malorum huic febri cum omnibus aliis communium, tota morbillorum curatio continetur. Menstrua fluentia impedire non debent, quo minus vena incidatur, modo tussis et spirandi difficultas urgeant. In media muliebri purgatione sanguinem tuto detractum vidi, sed inflammato pulmone, spirituque intercluso, nemo unquam vidit hoc auxilium impune omitti.

Mulieribus gravidis longe minus periculi est a morbillis, quam a variolis. Gravidae variolis correptae plerumque faciunt abortum, et saepissime moriuntur. Tales vero curavi consuetis morbillorum malis non mediocriter laborantes, e quibus nemo una partum elisit, aut propter graviditatem minus prospere e morbo assurgere visa est. Alia in re magis fortasse morbillis convenit cum variolis; nam hae eo pejores sunt, quo pustulae fuerint frequentiores; et eadem morbillorum videtur conditio.

Signa morbillos praecedentia accesserunt tredecim dies postquam homo, quantum potuit judicari, contagione fuisset afflatus. In duobus aliis decimo quarto prodierunt. In quatuor aliis morbi semina se ostenderunt, cum jam decem omnino dies fuissent intus recepta.

Quaedam nutrix morbillis correpta lactavit infantem usque ad ipsum diem, quo pustulae in cute apparuerunt, neque tamen cum illo morbum suum communicavit. Igiturne haec pestis, perinde ac variolae, contagiosa non est, nisi tum cum spectat ad maturitatem? Fieri quidem potuit, ut aliae causae puerum hunc morbillis implicari eo tempore vetuissent.

CAP. LXIV.

De narium haemorrhagia.

Sanguinis e naribus profusio fit potissimum in illis, qui vel adolescentiam nondum excessserunt, vel ad senectutem propinqui sunt. In pueris raro fit immodica; at in adultis saepe magno impetu fertur, et interdum cohiberi non potest, priusquam anima deficiat.

Pueri infirmi huic vitio subjectiores sunt, quam qui corporis habitu firmiore gaudent. In aetate adulta, praeterquam quod oritur e scirrhoso ebriosorum jecore, saepe quoque accedit arthritidi, capitis dolori, vertigini, torporibus, minisque apoplexiae, et valetudini quoquo modo perditae.

In muliere una atque altera cursus sanguinis e naribus praecessit menstrua, et perseveravit donec illa desiissent; in aliis functus est vice menstruorum; in aliis semper substitit, dum illa fluerent, licet nunquam alias tot dies conquievisset.

Nescio an hic affectus signum sit potius, quam remedium mali in corpore latentis; nam mihi visus est morbos, quibus accesserit, non levare, ideoque non esse expetendus. Multum tamen abest, ut hoc profluvium sit certum indicium morbi gravioris, vel praesentis vel futuri; quippe perseveravit subinde redire multos annos etiam in senioribus, quibus valetudo interea fuit satis commoda. Vetus capitis dolor semel

existimatus est sanguine e naribus fluente levari; rectene an secus, non habeo dicere; verum idem saepe aliis contigit sub iisdem doloribus, aliisque capitis morbis, neque omnino profuit.

Praesentissimum remedium est linamentum in nares demissum sic ut osculum arteriae aut venae patefactum comprimat. Ubi hoc fieri nequit, nulla alia medendi ratio mihi potior visa est, quam quae alio loco e me exposita est[1]. Quodsi habitus corporis istiusmodi sit, ut sanguis e naribus saepius profundatur, adultis convenit sal purgans tertio vel quarto quoque die sumtus sic, ut alvus ter descendat.

CAP. LXV.

De nausea[2].

Graviditas, arthritis, ebrietas, affectus hypochondriacus, vertigo, graves capitis dolores, tussis, maxime tussis convulsiva, lumbrici, calculus renum, menstrua inordinata, caput vehementius percussum, febris, et cibus modo vel genere peccans, solent ventriculum offendere, atque nauseam movere, quam saepe praecedit os aqua repletum. Nausea mane praecipue molesta est. Nervi ventriculi, perinde ac alii omnes, hoc tempore forsitan imbecilliores sunt. Idem malum interdum accedit tribus horis post cibum.

Quandoquidem hic affectus initium habet a tot diversis causis, facile conjectare licet, quod quidem usus comprobat, eandem medendi rationem non omnibus convenire. Vomere, cubare, aromatica et vinosa sumere, venter natura vel arte solutus, linimenta ex oleis chemicis et opio abdomini infricata, vel ex iisdem emplastra super stomachum imposita, succus limonum in ipso usu kali mistus et adhuc spumans epotus, postremo aqua, in quam demissa est herba menthae sativae, vel sola vel cum tinctura opii, saepe quidem, sed non semper, nauseanti ven-

[1] Medical Transactions, vol. II. qu. 4.

[2] Vide quae infra praecepta sunt capite 99. *de vomitu*.

triculo succurrunt: Aqua e floribus chamaemeli non raro auxilio est, vel vomitum movendo, vel stomachum confirmando. Ubi nausea ex aliis morbis pendet, quicquid his medetur, illam simul tollet. Aquae Bathonicae multas nauseantis ventriculi causas vel minuunt, vel ex toto submovent.

CAP. LXVI.

De morbis oculorum.

Oculi si vel levissime sint imbecilles, quamvis nullam morbi notam prae se ferant, aegre patiuntur ventum, ignem, pulverem, aut lectionem. Ubi imbecillitas major est, tenui humore madent; qui concretior fit et glutinosus, si tam lente defluat, ut spatium habeat coëundi in hanc crassitudinem.

Inflammationes palpebrarum strumosae longo spatio detinent, absque eo ut oculus ipse multum laboret, vel impatiens fiat lucis aut lectionis. Ubi oculus ipse inflammatur, quod in eo album esse debet, fit rubrum, venis sanguine distentis. Sic affectis sensus est tamquam pulveris vel arenae in oculum illapsae. Lux, pulvis, calor, et ventus, intendunt dolorem et inflammationem. Inflammationes leviores sine multo dolore, quamdiu lux ab oculis arcetur, perseverarunt annum vel diutius, neque coecitatem intulerunt: saepe tamen ortum dant unguibus oculorum, qui, si corneae praetendantur, hebetant visum, et ubicunque sint, oculum deformant. Post diuturnas vero et vehementes inflammationes lumen plerumque amissum est. Cum pili nascantur in interiore parte palpebrarum, atque oculum irritent inflamment-que, unicum remedium est eos evellere.

Oculi subjecti sunt vehementi ac perseveranti dolori sine ulla morbi nota. Isque dolor paucos dies permansit; item fundum oculi cruciavit annum integrum, acie eorum illaesa. Plerumque tamen ejusmodi casus non vacat periculo; quippe intra biduum induxit caliginem, et post breve spatium coecitatem. Similis dolor subinde infestabat oculum, qui post sex annos coecus factus est.

Interdum evenit, ut oculi sensim hebetati fuerint, et tandem prorsus occoecati intra paucorum dierum spatium, propter resolutionem, ut visum est, nervorum opticorum. In uno aegroto hoc malum ortum est e quodam fungi simili in cerebro nato, quod nervos opticos comprimebat. Coecitatem modo antecedit vertigo; modo species ob oculos versantes, velut iridis circa candelas, vel flammularum, vel muscarum, vel pilorum in aëre volitantium (quae nigrae sunt in luce, et igneae in tenebris), vel rerum multicolorum, vel multiplicatarum. Meminisse tamen oportet has omnes visus perturbationes contigisse, et ex iis nonnullas decem annos perseverasse, integra videndi facultate, oculisque prorsus illaesis.

Coecitas accessit et post paucas horas decessit, quod identidem factum est, sed inordinate, nullis certis spatiis interpositis; eoque dissimilis nyctalopiae, quae in singulis noctibus eadem ferme hora redit. Vidi paucas hujusmodi coecitates, quae tandem omnes prospere finitae sunt, oculis in pristinum statum restitutis. Vir quidam, dextro oculo captus, post quatuordecim dies recreatus est; at laevus oculus protinus coecus factus est, et ad mortem usque permansit.

Suffusionem sive cataractam praecedit caligo, quasi oculis tenue velum obductum esset. Signum hujus vitii est pupilla colorata, quae debet esse nigra.

In quadam oculorum imbecillitate aegris saepe omnes res videntur duplicatae; cuidam autem videbantur quadruplicatae.

Pupilla, quam maxime fieri potest, dilatata, quae quoque admoto sublatove lumine haud omnino movetur, dicitur gutta serena; et videtur esse nervorum opticorum resolutio. Modo sensim incedit, modo fit repente, et cum vehemente capitis dolore. Initio hoc vitium occupat alterum ex oculis; at saepe post paucorum annorum spatium ambos occoecat. Gutta serena vacat dolore; et tantillum interest uno, an duobus oculis res cernamus, ut tres quatuorve homines cognoverim, qui casu deprehenderunt se altero oculo captos esse; quamquam lumen, ut cum ratione conjiciebamus, multos ante menses amissum erat. Hoc contigit et in gutta serena, et in suffusione; sed in

hac rarius, quia caligo sensim obrepens aegrum vix potest latere.

Istius generis caligines oculis interdum offunduntur, in quibus modo maculae nigrae in aëre videntur volitare; modo dimidia tantum pars rerum cerni potest: quae cum duraverint circiter tertiam horae partem, desinunt in vehementem capitis dolorem multas horas saevientem; simul quoque in quibusdam nausea et vomitus sunt. Angor harum accessionum vix est tolerabilis, periculum autem prorsus nullum, quantum conjicio ex iis, qui vixerunt annos viginti saepe tentati hac aegrotatione, et tamen cessante dolore satis commode valuerunt. Hoc malum nulla certa tempora redeundi servat; nec invenire potui quibus de causis repetat, quibusve remediis sanetur aut etiam leniatur; nisi quod cubanti in lecto dolor citius finitur, et impetus ejus aliquantum minuitur. Aestate, et regionibus tepidioribus, rarius est; item in aetate provecta vel multum minuitur, vel prorsus finitur. Vomitus parum aut nihil juvat: sunt qui putant eum nocuisse.

Vertigo vehementior subito istam oculorum perturbationem fecit, ut remotae tantummodo res distincte cerni possent, quemadmodum fit in senectute. Binas cognovi mulieres, quae postquam multos annos sine vitris convexis legere non potuissent, in ultima senectute, oculis sponte sua restitutis, vitrorum usum haud amplius desiderabant. Vertigo subito fecit quendam strabonem; simul res omnes visae sunt duplicatae: utrumque hoc vitium post viginti dies finitum est. Idem singulis auroris alteri contigit, protinus ut experrectus esset, et aliquantisper duravit.

Nonnullis persuasum est exulcerationem per cantharides diu servatam oculos debilitare. Tamèn in variis oculorum morbis novimus emplastra cantharidis utiliter esse admota; et certe imbecillitas oculorum locum non habet inter effectus cantharidum, quos usu cognitos et compertos habemus. Postremo multi hujusmodi exulcerationem servarunt decem annos sine ulla oculorum injuria. Verumtamen tot aegrorum animos subiit haec suspicio; et nonnullorum, quibus iterum iterumque oculi laborarunt impositis cantharidibus, et his remotis sani facti sunt; ut haec opinio,

si prorsus esset insanis, vix nasci et in tantum crebrescere potuisset.

Variae partes oculorum opportunae sunt ulceribus, et carcinomati.

Imbecillis et aqua suffusis oculis saepe auxilio sunt aquae, quae purgandi vim habent, quarto quoque mane epotae, et eodem tempore aquae, in qua cortex peruvianus decoctus est, unciae duae bis quotidie sumtae. Multa collyria dicuntur prodesse adversus imbecillitatem et dolores oculorum, quae habent zincum vitriolatum, vel calcinatum, aut tutiam, aut cerussam acetatam aut denique spiritum vini lacte et aqua mistum. Quae omnia, ut interdum profuerint, multo saepius aegrum frustrantur.

Inflammationes palpebrarum strumosae, ubi oculus ipse vix laeditur, sanguinis missionem haud postulant; quodsi oculi ipsi inflammentur, maximum praesidium est in crebra sanguinis detractione, quae convenientissime fit per hirudines temporibus vel post aures admotas septimo vel etiam quarto quoque die, quamdiu inflammatio maneat.

Cataplasmata e conserva rosarum, vel pomis coctis, vel interiore parte panis lacte subacta, tenui linteo inclusa, et super oculos singulis noctibus imposita, mihi visa sunt plus profecisse ad discutiendam inflammationem, quam quaelibet collyria. Ubi inflammatio postulaverit, cataplasmata octava quaque hora admoveri debent. Cortex peruvianus, et aquae purgantes, valent adversus hos et omnes alios dolores oculorum. Ubi palpebrae inhaerescunt, singulis noctibus oportebit margines earum inungere adipe suillo aqua emollito, ne mane glutinentur, et vi quadam diducendae sint; unde dolor et inflammatio intenduntur. Setacea, fonticuli et vesicatoria saepe non contemnendam opem praebent ad hos morbos submovendos, et ad praecavendum ne repetant.

Adversus guttam serenam omnigena nervorum remedia, pulveres sternutamenta moventes, exulcerationes, emplastra cantharidis, et argentum vivum datum sic ut salivam excitet, nihil omnino profecerunt. Ajunt electrificationem interdum fuisse utilem.

Ad cataractam unicum remedium est humorem crystallinum vel deprimere vel extrahere.

Veteres medici ocularii, ut e Celso discimus, col-

lyriis suis fere semper admiscuerunt lacrymam papaveris. Quodsi perpendamus opii potestates, quae sensibus patent, tum vires medicas, quas usu cognitas habemus, vix praesidii aliquid ex opio adversus morbos oculorum licet sperare. Acor hujus succi manifestus dolori parum convenit; et vis ejus anodyna, nisi intus et in visceribus, meo judicio nulla est. Quid quod antiquorum auctoritas haud potuit impedire ne collyria opiata jamdiu exoleverint? quod non leve est argumentum contra eorum ulilitatem. Usu tamen recenti ajunt fuisse compertum tincturae opii guttas tres oculis quotidie instillatas contra obstinatas inflammationes multum profuisse.

Ungues oculorum saepe sponte sua sensim decedunt. An manu, aut medicamentis, quae erodendi facultatem habent, felicius tollantur, non possum affirmare.

De nyctalopia.

Vir natus triginta annos verno tempore implicitus est febre intermittente, quae diu traxit, propterea quod satis corticis peruviani non sumserat. Itaque in frigidam bis descendit, et ex illo febris nunquam repetiit. Triduo post ultimam accessionem, dum in navi quae in portu erat occuparetur, circa solis occasum res omnes coeperunt colore infici coeruleo, qui sensim increvit in speciem nubis, et brevi postea oculi adeo caligabant, ut candelae lucem cernere vix posset. Crastino mane acies oculorum restituta est. Cum vero advesperasceret, lumen simili modo amissum est: et eodem ordine perrexit amitti et recipi duodecim dies. Dein navem reliquit, et nyctalopia paulatim minuta est, et intra triduum cessavit. Post mensem cum jam aliam navem conscendisset, quarta nocte eadem coecitate occupatus est, quae perseveravit novem noctes, scilicet quamdiu in navi mansit. Egressus iterum convaluit. Non ita diu post in tertiam navem intravit; ubi restitit decem dies, et bis tantummodo morbo laboravit; quo nunquam postea tentatus est. Idem vir bis inciderat in resolutionem manuum a plumbi tractatione ortam.

CAP. LXVII.

De ozaena, sive exulceratione malae.

Pus multos annos manavit e cavo, quod antrum Highmori vocant. Crebra ablutio sordium per aquam chamaemeli in cavum infusam, visum est unicum hujus mali allevamentum.

CAP. LXVIII.

De palpitatione cordis.

Infantes interdum nascuntur palpitatione cordis occupati; atque his plerumque pectoris quaedam deformitas, vel alia adversae valetudinis indicia sunt. Verum in nulla non aetate reperitur hoc malum, quod etiam inferunt asthma, affectusque hypochondriacus et hystericus, podagra, vitia cutis, occupationes nimiae, inflatio, vertigo, defectiones animae, importuna cupiditas urinae, et illa universae valetudinis conquassatio, ubi omnes vitae vires languent. Aegris his arteriae fere semper inordinate moventur, et palpitatio interdum tanta fuit, ut sonum quoque aliquem effecerit.

Hic affectus manifesta cognatione conjunctus est cum istis morbis, qui existimantur nervorum proprii esse, quique sanguinis missione augentur; hoc igitur remedium plerumque omittendum est, licet id semel atque iterum vidi impune saltem, si non (quod aegro visum est) utiliter adhibitum. Unus jacendo levatus est: ceteris omnibus in lecto morbus auctus est, tum praecipue molestus fuit expergiscentibus; nocet etiam venter cibo potuque onustus.

Si animadvertamus quam celeriter nonnulli ex his aegris ad ultima veniant; quamdiu autem cordis palpitatio trahat in aliis, cum satis levi sanitatis perturbatione; tum longas ejus intermissiones; postremo palpitationem vel in sanissimis excitari posse sola cogitatione; ex his omnibus manifestum est eam e variis causis oriri, ratione periculi multum inter se

diversis. Ubi remediis locus est, ea sunt adhibenda, quae conveniunt affectibus hypochondriacis: verum palpitatio cordis plerumque est istiusmodi, ut vel nullam medicinam postulet, vel omnem vincat.

CAP. LXIX.

De paralysi et apoplexia.

Paralysis et apoplexia sunt tantum diversi gradus ejusdem morbi. Quicquid hominem repente occidit sine causa manifesta, vocatur vulgo apoplexia; quamquam mors subita saepe illata fuerit ab arteriis aut venis intus in corpore ruptis; vel a pituita, aut pure, pulmones replente et spiritus vias intercludente; vel ab aliis causis dissimillimis ejus cui vera apoplexia debetur.

Paralysis est debilitas repentina musculorum, quibus movendi facultas continetur. Quodsi musculi universi, praeter illos qui ad cor et pulmones pertinent, fiant inutiles, et sensus omnes simul extinguantur, morbus dicitur apoplexia; cujus causa interdum est adeo potens, ut cordis quoque et pulmonis motum deleat, et mortem momento temporis arcessat.

Facultas movendi per musculos, sive qui voluntati subjecti sunt, seu qui non sunt sub ejus imperio; tum variae perceptiones a sensibus profectae; postremo illae mentis facultates dictae memoria, imaginatio, attentio, judicium, cum affectibus animi nervorum beneficio exerceri videntur; et proinde debilitantur, perturbantur, vel prorsus pereunt, pro modo injuriarum cerebro, medullae spinali, vel nervis illatarum; sive illae fiant a propriis nervorum morbis, nobis parum cognitis; seu a vi aliqua, vulneribus, ulceribus, distorsione, aut veneno. Verumtamen cum amissa facultas movendi evidens est, et maxime insignis conditio hujus morbi, inde factum est, ut in hac tota ejus natura contineri vulgo existimetur; et profecto interdum evenire videmus, ut unum vel plura membra resolvantur, dum nervi, qui sunt instrumenta sensuum mentisque, officiis suis rite funguntur. Alias tamen accidit, quamquam paulo rarius,

ut unus vel plures sensus hebetentur aut pereant, vel ut mens evadat socors, obliviosa et fere stupida, viribus musculorum integris manentibus et illaesis. Multo saepius animus, et sensus, et corporis vires simul laborant, ubicunque paralysis gravior inciderit. Debilitas sensuum animique, prout major sit, vel levior, dicitur carus, coma, aut lethargus. Intellectus et ratio paralyticorum modō adeo hebetantur, modo adeo perturbantur, ut fiant tristes, fatui, vel prorsus insani. Modo insania et paralysis eundem vicissim occupaverunt. In nonnullis epilepsia tam prope abest a paralysi, ut difficile dictu sit ad utrum morbum signa sint referenda. Idem pari jure dici potest de chorea Sancti Viti.

Paralysis maxime invadit illos, qui aetate sunt inclinata, quorumque vires senectute vel morbis fractae fuerunt. Neque tamen juniores securi sunt ab hac peste, praecipue si a majoribus paralyticis orti sint, vel curis aut intemperantia valetudinem corruperint. Pueri et puellae a natu usque ad pubertatem interdum membris capti sunt; verum horum valetudo vel semper fuit infirma, vel crebris distensionibus, accessionibus epilepticis, aut chorea Sancti Viti conquassata. Arthritis homines apoplexiae opportunos reddit, vel quia vires omnes debilitat, vel quia morbi utriusque causae cognatione quadam inter se junguntur. Nervi hypochondriacorum et hystericarum nonnunquam adeo atteruntur franguntur que, ut resolutioni paralyticae proximi videantur. Verum, ut usus docuit, longo intervallo proximi sunt, cum perquam raro factum est, ut hi morbi in paralysin desinant. Longus rheumatismus et arthritis vaga, postquam diutius aegros detinuerint, reddiderunt membra imbecilla ac paene mortua; sed haec resolutionis species ultra artus vix procedit; sensus et animi integri manent vigentque. Artus quidem inferiores saepius resolvuntur ab arthritide, et rheumatismo; colica Pictonum manus et brachia potissimum debilitat. Mulieres valetudinis alioquin secundae, dum gravidae fuerint, aut puerperae, toties inciderunt in mala paralytica, ut vix liceat dubitare quin graviditas et puerperium faveant accessioni hujus morbi. Memini puerperam hoc modo affectam, quae biennio post vix restituta fuit: hoc autem rarum est: pleraeque

enim sic aegrotantes brevi tempore veniunt ad sanitatem, neque morbus solet repetere. Infans sanus validusque natus est e matre, quam gravidam occupaverat paralysis.

Resolutio membri unius, vel corporis dimidii, saepe incipit ab apoplexia, sive subita virium et sensuum extinctione, quae perseveravit modo horas multas, modo exiguam horae partem; atque hoc malum homo interdum adeo non praesentit, ut per aliquot horas, vel etiam paucos dies ante ejus adventum, sibi solito melius valere visus sit. Multo tamen saepius hic morbus sensim obrepit, absque eo ut aegrotus subito conciderit motu et sensibus destitutus. Porro ejus accessio haud impediit quo minus nonnulli, mentis integri, artus sibi resolvi senserint. Vox balbutiens et inexplanata, veternus, memoria labans vel amissa, leve delirium, oculi caligantes, vel sic affecti ut res omnes cernant duplicatas, tremor, torpor sensim ad caput ascendens, crebra oscitatio, debilitas, oris distorsio, animae deficientis metus, sunt illa signa, quorum nonnulla paucas horas, vel etiam paucos dies paralysin antecesserunt. Quinetiam debilitas vel unius membri, vel corporis dimidii, per multos menses, aut etiam per aliquot annos paulatim aucta, tandem desiit in consummatam hemiplegiam. Veternum, et visum duplicem cum vehemente capitis dolore et sensu tamquam fasciae illud comprimentis post biduum consecuta est sensuum vocisque privatio; tertio autem die aeger extinctus est. In quodam aegro primo die manus torpuit, secundo lingua facta est inexplanata, tertio accessit paralysis. Historia medicinae plena est hujusmodi exemplis. Minae paralyseos invasurae accesserunt et recesserunt identidem per aliquos horas, tamquam certatio quaedam esset corpori cum morbo, priusquam vel minae illae finitae sint, vel nervi resoluti. Pondus capitis, vel dolor gravis, vel sensus fasciae caput comprimentis, vertigo, torpores, aures intus sonantes, et crebri cursus sanguinis e naribus in adultis aut senioribus, possunt quidem oriri ex infimo gradu cujusdam causae paralyticae; verum haec omnia per hominis aetatem fuerunt sine quovis malo graviore subsequente; ut igitur locum aliquem cautioni, nullum autem terrori dare debeant. Flammulae, vel maculae nigrae,

ob oculos vitae, interdum praecesserunt apoplexiam, plerumque tamen parum, aut non omnino pertinent ad hunc morbum; sunt enim saepissime solius oculi affectus, dum reliquum corpus recte valet. Excrucians dolor lumborum saepe antecessit resolutionem artuum inferiorum.

Ubi stirps et communis origo nervorum laesa fuerit, ibi omnia eorum officia perturbantur. Nervis autem, qui proprii sunt partis alicujus ad vitam minus necessariae, saepe fit injuria, ceteris omnibus inviolatis. Iis, qui inter aegrotos versantur, contingit videre innumeros gradus resolutionis nervorum ab usque torpore seu debilitate articuli unius digiti ad consummatam apoplexiam, in qua sensus et motus per universum corpus pereunt: atque infinita est series paralyticorum malorum, quae haec duo extrema interjacent. Musculi labri inferioris resoluti fuerunt, dum reliquum corpus similis mali prorsus esset expers. Idem interdum patiuntur palpebrae alterius, vel utriusque oculi. Multo saepius laborant musculi loquelae, unde vox fit balbutiens et inexplanata, vel ex toto suppressa. Nervi quoque alterius partis faciei soli ex omnibus saepissime resolvuntur; in quo casu labri angulus affectus depressior fit quam angulus sanus; item cibus aegre manducatur, haeret enim ad istam genam, quae mortua est; tum cibus et potio ex ore saepe elabuntur. In uno aegroto cum resolutione dextrae partis faciei dolor fuit acutissimus post aurem ejusdem lateris; in alio similis dolor post aurem sinistram, ubi paralysis erat a parte faciei sinistra. Paralysis modo occupat solos musculos devorationis aut linguae, modo alterum brachium, manum alteram, vel unicum digitum, Musculi femorum et crurum saepe fuerunt sedes hujus morbi, et simul sphincteres ani et vesicae, quibus resolutis urina et stercus nolentibus elabebantur. Contra ubi nervi inferiorum artuum affecti sunt, interdum stercus et urina non sine summa difficultate excerni potuerunt, cum musculi, qui haec expellere deberent, magis debilitati sint quam sphincteres. Haud alia species resolutionis frequentior est quam hemiplegia, in qua motus dimidii corporis minuitur aut perit, a vertice capitis usque ad imum pedem. Dextra et sinistra pars pariter opportuna est huic affectui; hoc saltem ita vi-

sum est ex non paucis hemiplegiacis, ubi huic rei diligenter attendebatur. Causa paralyseos, qualiscunque fuerit, levissima re impellitur, hoc potius quam illud corporis latus occupare; etenim octies contigisse novi, ut qui ex hemiplegia evaserant, postea correpti fuerint resolutione oppositi lateris.

Quinque sensus externi omnia fere obscure et confuse percipiunt in paralyticis. Unum tamen curavi, cujus olfactus adeo non hebetatus, ut longe acutior factus esset, et occasiones molestiae et offensae, satis interdum ridiculas, perpetuo praeberet. In alio ex lethargo vigilia erat, et simul omnes sensus externi praeter consuetudinem vigebant et acuebantur. In reliquis omnibus, quos vidi, universae facultates, quae a nervis pendere existimantur, siquidem omnino mutatae fuerint, languidiores factae sunt, nisi quod in nonnullis cibi cupiditas aucta est.

Torpor, sive imminutio sensus tactus, satis familiaris est huic morbo: tamen non nisi rarissime ex toto perit. Ex ingenti numero paralyticorum, quibus adfui, septem omnino fuerunt, in quibus hic sensus prorsus extinctus est. In tribus ex his motus aliquis superarat. Alteri tactus nunquam restitutus est, etsi motus aliquis rediisset. In quinto tactus post semiannum receptus est. In duobus reliquis, quantum intellexi, neque sensus, nec motus unquam recuperatus est[1].

Nulla est animi facultas, quam paralysis infirmare non possit: ea autem, quae moderatur affectibus et memoriae, prae ceteris omnibus debilitari consuevit. Neque tamen valde ausim affirmare affectus et memoriam opportuniores esse injuriis quam imaginationem et judicium, verum innumerae occasiones arguunt memoriam amissam, vel puerilem istam animi impotentiam, quae sinit hominem dedere se lacrymis, vel ira aut gaudio inaniter efferri; dum vires imaginationis et judicii rarius exercentur, neque sane earum debilitas tam manifesta apparet. Itaque detri-

[1] Ramazzinus refert se olitorem quendam curavisse paralyticum, in cujus altero crure extinctus omnis motus erat, illaeso sensu; in altero abolitus sensus, movendi potestate integra manente. *De Morb. Artif.* [Collect. nostr. Vol. XI. pag. 123.]

mentum haud mediocre his animi facultatibus inferri potest diu antequam deprehendatur.

Infiniti fere sunt gradus imbecillitatis, quos animus perinde ac corpus paralyticorum experitur. Nonnullis e sinistra parte corporis laborantibus, quibus vox etiam perierat, mens adeo constitit, ut cum dextra manus esset incolumis, scribendo satis declarare valerent, quid sentirent, et quid sibi fieri vellent. In aliis autem ratio et intelligentia adeo perturbatae sunt et confusae, ut et verba sensibus exprimendis defuerint, et ipsae formae literarum e memoria excidisse visae sint. Alii inter duos priores quasi medii fuerunt, et, quod loqui non potuerunt, potuerunt scribere, etsi paulo confusius. Denique idem homo diversis diebus, vel diversis horis ejusdem diei, prout vis morbi major fuerit vel minor, modo verba satis apte descripsit, modo chartis illevit notas rudes et prorsus non intelligendas. Mens horum aegrotorum adeo interdum conquassata est, ut non solum impares fuerint describendis verbis affirmandi et negandi, verum, cum haec ab assistentibus scripta fuissent, non potuerint vel digitum ad haec vel illa intendere sic, ut sensus suos explicarent. Impotentia loquendi oritur quidem interdum e resolutione musculorum vocis propriorum; interdum vero ex aliis causis. Etenim nonnullis paralyticis omnis memoria etiam vernaculae suae linguae excussa est, adeo ut nulla verborum aut literarum notitia in mente supersit. Quam quidem notitiam alii celeriter arripiunt, alii tarde et sensim redintegrant. Igitur paucarum literarum vocabula, et quae usu maxime trita sunt, primo discunt, et diu est quod verba, quae vellent, ad manum non habent; sed eorum loco aliena prorsus efferunt, tanquam qui sermone utuntur vel sibi parum cognito, vel cujus longa desuetudine fere obliti sunt. Juvenis capite graviter colliso aliquot dies attonitus jacuit; tandem resipiscens omnem etiam vernaculae suae linguae memoriam amiserat, quam aegre et sensim iterum discebat; forma tantummodo literarum, a quibus nomen et cognomen suum inceperunt, in animo manserat; reliquarum notio adeo penitus excussa fuerat, ut iis legendis et scribendis non secus operam daret, ac si eas antea prorsus nescivisset.

Brachio resoluto interdum tam gravis dolor fuit

in humero ejusdem lateris, ut aegris persuaderi vix posset quin os aut fractum esset aut excidisset. Alvus paralyticorum solet esse adstrictior; urina autem solito copiosius fertur. Incisis quorundam hemiplegiacorum cadaveribus, deprehendi modo partem illam cerebri, quae respondebat lateri affecto, modo oppositam partem, vi aliqua vel morbo vitiatam.

In iis, qui assurgunt ex hemiplegia, motus cruris plerumque recuperatur prius quam brachii: hoc tamen non est perpetuum. Linguae leviter resolutae sensus idem fuit, ac si aqua fervente perfusa esset. Apoplexia raro discutitur sic, ut nullum membrum relinquatur paralyticum. Prima accessio apoplexiae aut paralyseos raro est mortifera. Quisquis autem hanc vel illam semel expertus sit, ille posthac eidem malo vivet opportunior: et quo saepius hi affectus reversi sint, eo citius nova accessio erit exspectanda. Contigit tamen aliquando, ut homines e gravi hemiplegia emerserint, et deinde liberi fuerint ab omnibus ejusdem generis malis quatuordecim, octodecim, aut etiam viginti annos. Fatendum autem est, hos casus felices raro evenire: etenim gravis paralysis, quamquam videatur ex toto recessisse, fere repetit intra paucos annos, et nonnunquam intra paucos menses.

Paralysis levis exiguae partis corporis, qualis est resolutio dimidiae faciei, saepe finitur illaesa prorsus valetudine. Juvenes istiusmodi affectu tentati fuerunt, qui ad extremam senectutem pervenerunt expertes ejusdem recidivi. Qui semel occupatus est gravi paralysi, saepe experitur leviores morbi accessiones, quae, cum noctu, vel per quietem invadant, facile latent eos, qui aegrotis famulantur. Harum vero justissima erit suspicio, ubi ea mala, quae secuta sunt accessiones priores, denuo intra paucas horas plurimum ingravescunt. Nusquam autem majus instat periculum morbi recrudescentis, quam per paucos dies post graviorem accessionem, donec vires coeperint recolligi, et valetudo aliquantum fuerit confirmata. Paralysis gravis, quamquam non repetat, saepe sola sufficit debilitandis omnibus facultatibus, quae a nervis pendent. Valetudo, quantum sensibus nostris manifesta est, non semper respondet magnitudini morbi. Qui enim, cum primum hominem invadat, satis mediocris visus est; cum interdum consecuta est

summa et insanabilis corporis animique infirmitas. Qualiscunque vero nervorum resolutio plerumque infert capitis dolores, vertiginem, attentionis impotentiam, memoriam labefactatam, veternum, mentis alienationem, vocem inexplanatam, singultum, tremores, debilitatem, distensiones, et risus fletusque sine voluntate. Inter plurima autem mala, quae secum ferunt affectus apoplectici, aliquid inde boni semel visum est oriri: nam epilepticus quidam, attonitus factus, deinde revixit, et veterem suum morbum nunquam postea expertus est. Contra aliis contigit, ut ex hemiplegia assurgentes tum primum coeperunt cum epilepsia conflictari. In puero etiam chorea Sancti Viti orta est ex hemiplegia. Virum quendam, cujus dextra manus diutius tremere et quassari solita fuerat, occupavit hemiplegia sinistra; et protinus rediit robur et firmitas dextrae, adeo ut iterum literas belle et eleganter describere valeret, qua laude olim excelluerat.

Incerta prorsus res est, ubi quis paralysi aut apoplexia corripitur, quot dies intercessuri sint, priusquam vel morbo victus succumbat, vel incipiat ad se redire. Justa apoplexia, in qua nulla vitae signa supersunt praeter motum cordis et pulmonis, raro fit nisi paucis horis ante mortem. Imperfectior accessio, in qua tamen sensus omnis, et vox, et facultas devorandi perierant, non nisi decimo die morte finita est. Hemiplegia occidit modo paucis mensibus, modo paucis diebus, vel etiam intra paucas horas desiit in apoplexiam. Attamen qui initio correptus est hemiplegia, vel qui in eam emersit ex apoplexia, ille plerumque sensim se recolligit a multis morbi sui malis, et interdum, sed rarissime, ex omnibus. His aegris morbus incipit recedere modo intra exiguam horae partem, modo non nisi post paucos dies, vel etiam post aliquot menses; interdum valetudo perrexit ire in melius per paucos annos. Octogenarius quidam ex hemiplegia restitutus fuit intra duos menses. In sene motus crurum, qui amissus fuerat, sensim rediit, donec post novem menses ambulare valeret. In uno hemiplegiaco robur partium affectarum fine demum secundi anni coepit redintegrari. Binae accessiones paralyticae recesserunt nulla sui vestigia relinquentes in sene asthmatico, qui deinde plus de-

eem annos aequam superfuit. Plurimi, qui ex hemiplegiacis facti sunt pene attoniti, noctes atque dies brachio suo sano nihil aliud egerunt, quam vestes detrudere, et pectus tali onere levare. Si hemiplegiacus monetur experiri an manum resolutam movere possit; nemo est, qui non manum mortuam sana manu continuo apprehendat, et susque deque moveat. Verum tristissima hujus morbi facies tum demum est, cum, viribus animi et corporis admodum debilitatis, et affectibus fere ad insaniam effrenis, homo sibi ipsi quasi superstit, ad summam miseriam redactus, si modo suam miseriam norit; quippe non amplius valet stare aut loqui, verum digitis alienis cibum capit, et alvum et urinam sine voluntate reddit, dum mors cessat venire, ab omnibus aegroti amicis invocata.

Apoplectici, qui prope absunt a morte, in spirando ambas buccas inflare solent.

Credibile est plerosque paralyticos et attonitos, corporis ipsius viribus, in aliquam partem sanitatis restitutum iri; unde oritur haud mediocris difficultas aestimandi veros effectus qualiumcunque remediorum, quibus aegrotus usus sit; donec ea crebro repetita eundem semper exitum habuerint. Invadente apoplexia aut paralysi, continuo laxare oportet omnes istas vestium partes, quae collum cingunt; id enim nonnunquam his morbis advenientibus adeo tumet, ut ab arctiore quovis vinculo strangulationis periculum instaret.

Sanguinis missio vulgo existimatur esse praesentissimum attonitorum auxilium; et profecto ubi aeger florente sit aetate, et sanguine abundat, et lautioribus epulis assuetus fuerit, vena sine mora est incidenda. Verumtamen largae et repetitae sanguinis detractiones omnibus apoplecticis et paralyticis, nullo delectu habito, utiliter aut tuto adhiberi certe non possunt. Etenim juniores et robusti non tam obnoxii sunt his morbis, quam pueri infirmi, et effeti senes, in quibus vires nutriendae sunt et excitandae potius quam minuendae; dum multa sanguinis profusio, quemadmodum in submersis fieri dicitur, omnes naturae conatus reprimit, et tenues vitae reliquias penitus extinguit. Quodsi consulamus experientiam, haec, quantum possum judicare, testatur copiosas sanguinis

missionem saepe nocuisse, eamque in non paucis aegrotis tutius praetermissam.

Nonnullis persuasum est, apoplexias omnes initium habere a nimio sanguine, qui venis et arteriis distentis vel ruptis cerebrum comprimit, neque aliam quamlibet hujus morbi causam admittunt. Attamen huic opinioni parum favet infirma ac perdita valetudo plerorumque, in quos affectus apoplectici incidunt. Tum quoque multa venena nervorum vires perturbant aut abolent, eodem prorsus modo ac apoplexia; quorum tamen effectus a sanguine cerebrum comprimente proficisci vix possunt. Potest quidem apoplexia interdum fieri ex arteria aut vena in cerebro rupta; verum non video qui fieri possit, ut homo ex isto casu non moriatur; et tamen novimus perpaucas apoplexias illico fuisse mortiferas.

Si nonnullos audiamus, febris haud mediocriter prodest paralyticis, quam igitur vel gaudent advenire, vel student excitare. Huic certe doctrinae parum convenit cum illorum placitis, qui omnem horum morborum curationem in purgatione alvi et sanguinis missione contineri opinantur. Sed, ut verum fatear, jam diu est quod usus mihi ex animo delevit hanc opinionem de febris utilitate; neque enim hic, nec alibi usquam, febris utilis visa est. Quo magis aegrotus febricitat, eo semper gravius est malum, cujuscunque id generis sit, sive extrinsecus, seu intus in corpore latens: et quo magis naturaliter ordinatur arteriarum motus, eo res erunt meliores.

Arthritis paralysi superveniens ne minimum adjuvit, sed misere delusit spem aegrotorum, qui nescio quid magnum ex ejus adventu sibi polliciti fuerant. Nemini autem mirum videri debet arthritidem, quae saepe gignit apoplectica mala, eorundem remedium non esse.

In nulla hujus morbi specie vomitum elicere oportet per vehementius medicamentum quam aquam ex carduo benedicto; atque haec tum solum expedit, cum nausea aegrum fatiget: tunc enim ejus beneficio nausea discutietur, et quicquid ventriculum gravabit, submovebitur. Medicamentum leniter purgans, vel, ubi hoc devorari non potest, aliquid infusum in alvum proderit intestina exinaniendo, pariterque excitando. Medicamenta autem vesicantia cuti applicata. Emplastra

cantharidis super caput, scapulas, utrasque resolutas imponenda sunt.

Ubi facultas devorandi restituta fuit, vel nunquam amissa, opitulantur illa remedia, quae vires languenti corpori reddant, quale est quod recipit olei cinnamomi, vel caryophyllorum, guttam unam cum tantillo sacchari tritam, decocti vel infusi corticis peruviani sesquiunciam, spiritus lavandulae compositi drachmam, quod etiam dandum est quarta quaque hora. Moschus quoque, et radix valerianae sylvestris, et camphora laudantur, tamquam quae proprie nervis amica sunt, quorum motus languidos excitant, et inordinatos moderantur. Radix valerianae saepe data est sine quovis evidente effectu; cognovi tamen nonnullos, quorum animos semper reddidit mire agitatos; ut clare pateret eam nequaquam esse fatuam et omni potestate destitutam. Praeterea feles odore ejus admodum delectantur, et tandem quasi mente motae in ludos abnormes aguntur. Feles autem promtissime sentiunt vim earum rerum, quae nervos vehementer movent; et nescio an sit ullum animal paris magnitudinis, in quod tantos effectus edunt venenatae barbararum gentium sagittae, nicotiana, opium, spiritus vini, et cetera hujus generis venena.

Postquam impetus morbi transierit, et aeger haud amplius in aperto periculo versetur, opera danda est, ut reliquiae ejus dissipentur, et aeger a nova accessione securus praestetur. Quem ad finem quidam putant plurimum conferre aquas Bathonicas. Medici autem de hac re inter se dissentiunt: cum enim usus harum aquarum aliis videtur esse praesens paralyticorum praesidium; alii sine ulla dubitatione declarant eo ipso modo homines e paralyticis fieri apoplecticos. Quantum egomet usu didici, Bathonia quidem his aegrotis neque prodest neque nocet. Alii dum illic vivunt paulatim recreantur; alii nova accessione correpti pereunt: prorsus uti factum fuisset quovis alio loco. Quamobrem neque suadere iter ad Bathoniam, quodsi illud ab aegris ipsis, vel ab eorum propinquis expetatur, per me licet eant. Lavatio frigida vix ampliorem commendationem meretur. Novi bene multos, qui ex paralysi emergentes sperarant se inventuros esse remedium ad vertiginem et debilitatem atque alia mala ex hac valetudine orta; [illegible]

mare descenderent. Et quidam, ut ipsis videbatur, levati sunt; aliorum valetudo in pejus ruens frigidae imputata est. Verior fortasse sententia esset, hanc neque nocuisse, nec multum profuisse. Medici igitur, qui in reprehensionis periculum incurrere nolunt, cavebunt a suadenda lavatione frigida, cum paralytici, quicquid fecerint, tam obnoxii sunt morbo recidivo. Quodsi vel inter lavandum, vel brevi postea fiat nova accessio, in illam causam, utcunque immerito, omnis culpa conferetur.

Somnus est imprimis necessarius ad renovandas vires animosque, labore et curis exhaustas; et tamen procul dubio hominem opportuniorem reddit omnibus illis affectibus, qui ex nervorum infirmitate oriri existimantur; in quibus quoque numeranda est apoplexia, quae saepe per quietem crescit, vel tum primum invadit. Illos itaque omnes, qui in his morbis sunt, et cupiunt amoliri praesentia mala, vel futura praecavere, oportet abstinere a nimio somno: optimus ejus modus erit, qui minimus salva valetudine capi potest.

Exulceratione ex emplastris sanata, fonticulus in collo fieri et per reliquam vitam servari debet. Vertigo levabitur missis sanguinis sex unciis per cucurbitulas alternis mensibus scapulis admotas; quae sanguinis detractio bene fertur ab illis, qui venam incidi non sustinent. Saepe salutare fuit hoc remedium; tum praecipue in femina nata octo et sexaginta annos, quam vertigo adeo gravis identidem arripuerat, ut illico concideret, et in summo apoplexiae periculo versaretur. Hoc demum vitae anno coepit uti cucurbitulis, quae deinde admovebantur singulis sesquimensibus usque ad annum quintum et octogesimum, quo decessit. Nunquam autem illi opus fuit monitore: etenim si forte paucos dies dilatum esset hoc remedium, apertissime sentiebat se minus recte valere, atque ejus desiderium diutius ferre sine periculo non posse. Hujus beneficio per septendecim postremos vitae annos vertigo non nisi raro et leviter reversa est. Finem autem vitae attulit paralysis, a qua, ut mihi videbatur, cucurbitulae eam multos annos securam praestiterant.

Cum juvenis adhuc essem, et medicinam e libris praecipue hausissem, abhorrebam ab opio paralyticis

dendo. Doctrina enim, veri certe speciem prae se ferens, in medicorum scholis tradita, rejicit opium tamquam prorsus alienum, ubi languentes et semimortuos nervos cupimus excitare: quippe cujus vis omnis cernitur in refrenando et consopiendo vires animales. Hanc tamen opinionem, utcunque speciosam, usus mihi ex animo excussit. Cognovi enim aegros, qui a paralysi convalescentes multum opii sumserant, et deinde sibi indulserant tincturae opii guttas triginta singulis noctibus per haud paucos annos. Hi interea bene valuerunt; et si opium praesidio non fuit, at certe non obfuit sanitati. His doctus exemplis, ubi jactatio postulaverit, paralyticis saepe dedi opiata, cum non minore fructu quam in alia quavis aegritudine [1].

Quantum valeat electricitas ad paralysin sanandam, nondum usu satis compertum habeo: haec tamen procul dubio aliquam vim in nervos exercet.

Inter febris intermittentis signa semel atque iterum vidi mala quaedam paralytica; verum haec omnia, simul cum febre, cortici peruviano cesserunt.

Historia feminae catalepticae.

Die Junii 26to, anno 1764. In nosocomio S. Thomae vidi feminam sex et triginta annos natam, accessione cataleptica congelatam. Pulsus erat plane naturalis. Placide spirabat. Adspectus oris erat qualis illorum, qui intentis oculis et immotis palpebris aliquid contemplantur; non qualis moribundorum, aut cum dolore aliquo aut moestitia conflictantium. Omnia membra istum situm servabant, quem adstantes cuique dedissent, utcunque incommodum. Extendi brachium, et vidi illud extensum permanere in tertiam horae partem: audivi id antea ita permansisse ultra horam; quod vix quisquam sanus facere valeret. Imo fertur extensa manu septem librarum pondus sustinuisse. Si aegra in rectum constituta fuisset, recta maneret, neque levi impulsu concideret. Sedenti ambo crura

[1] M. Chapelain, médecin de Montpellier, avoit guéri un homme en apoplexie par un grain de laudanum. *Act. R. Sc.* 1703. *Hist.* p. 57.

extensa sunt et a terra sublata, quae in hoc situ incommodo restabant, quasi ex argilla sequaci aut cera facta fuissent. Os clausum est, neque ulla vi potui maxillas diducere. Palpebrae apertae fuerunt; aut si vi clauderentur, cessante hac vi, illico diductae sunt. Nictavit, sed levissime, ubi digitus oculo repente admoveretur; semper alias palpebrae immotae fuerunt. Admota candela pupilla oculi sese contraxit. Vi compressis naribus, post nisum aliquem et quasi luctam labra aperta sunt ad spiritum transmittendum. Audivi illam hoc morbo impeditam fuisse per aliquot menses. Mane et vespere fere quotidie redibant accessiones, et manebant modo horam, modo tres horas; et famula affirmavit quandam duodecim horas perseverasse. Morbus repente solebat invadere, nullo signo antecedente.

CAP. LXX.

De dolore pectoris.

Pectus saepe fit sedes dolorum, minus quidem periculosorum, quam quos peripneumonici et tabidi experiuntur; verum admodum molestorum, cum propter vehementiam, tum praecipue propter moram. Etenim in quibusdam permanserunt sex, in aliis octo, vel novem, vel quatuordecim annos. Non defuerunt exempla, ubi certum habuerunt circuitum, singulis noctibus revertentes; aut ubi invicem modo hi, modo capitis dolores vexerunt. Varie appellati sunt, prout ad arthritidem, rheumatismum, aut distensionem propius accedere existimati sunt. Cum autem febre prorsus vacent, nihil est, quod aeger ab illis metuat, aut vitae suae, aut valetudini.

Praesentis doloris molestia, praesertim si noctu saeviat et somnos abrumpat, saepe postulat leniri exiguo opii; cui, si visum fuerit, licebit adjicere vel pilulam purgantem, vel calcem antimonii, vel gummi foetidum. Auxilio fuit parti dolenti admovere emplastrum cantharidis sesquipollicis amplitudine, et diutius servare exulcerationem; item contegere eam partem emplastro cymini ample per mensem integrum.

Quosdam etiam juvabit linimentum saponis bis quotidie pectori infricatum, et lavatio frigida sive in aqua dulci, sive in mari.

Verum dolores pectoris, quos supra proposui, sunt leviculi; superest alius, qui propter conditiones suas minime quotidianas, tum propter exitum singularem, paulo fusius exponi meretur; quo pectus adeo angitur, ut non immerito angina pectoris appellari possit.

Qui hoc morbo tenentur, occupari solent inter ambulandum (tum maxime si per acclivem locum ambulent, et statim post cibum) ingratissimo pectoris angore, vitae extinctionem intentante, siquidem augeretur vel perseveraret: quamprimum autem gradus sistatur, totus angor momento conquiescit.

Initio hujus aegritudinis cetera omnia homines valent; et seorsim nulla tenentur spirandi difficultate, a qua hic pectoris angor prorsus est diversus. Dolor saepissime pertinet a pectore usque ad cubitum laevum. Mares praecipue tentantur hoc morbo, qui annum quinquagesimum excesserunt. Sedes ejus est modo suprema pars, modo media, modo ima ossis sterni, non raro tamen inclinatior ad sinistrum quam ad dextrum latus. Arteriae eorum, qui in hoc dolore sunt, naturaliter prorsus moventur.

Postquam haec pestis annum vel diutius insederit, non adeo protinus quiescit, cum aeger constitit; tum quoque invadit non solum ambulantes, sed etiam cubantes, maxime autem qui in sinistrum latus jacent, et proinde saepe cogit aegros e lecto surgere. In nonnullis, verum non in omnibus, ubi malum inveteraverit, angor inducetur vectione in curru aut in equo, item deglutitione, tussi, solutione alvi, loquela, aut mentis perturbatione.

Haec, quam modo descripsi, usitatissima est morbi facies. In nonnullis vero quaedam varietates inveniuntur. Nam non solum ambulantes, sed et stantes, et sedentes, et expergiscentes e somno, correpti sunt hoc malo; quod porro ad dextrum pariter ac laevum cubitum pertigit, atque etiam usque ad manus; sed hoc rarius evenit; rarissimum autem est, ut brachium simul torpeat et tumeat.

In aegro uno aut altero dolor permansit aliquot horas aut etiam dies; nimirum cum jam vetustior fuerit, et altius in corporis habitu insederit. Memini

tamen in quadam [illegible] vel [illegible] accessione totam noctem perseverasse.

Crediderim me vidisse non pauciores quam centum hoc morbo aegrotantes; in quibus numeravi tres feminas, et unum puerum duodecimem, qui aliquid simile hujus affectus experti fuerant. Ceteri omnes fuerunt viri, qui vel prope accedebant ad annum quinquagesimum, vel eum excesserant.

Qui ambulare perseverarunt, donec angor quater aut quinquies reversus esset, iis vomitus interdum excitatus est.

Vir quidam sexagesimum annum agens coepit inter ambulandum affligi ingratissimo sensu angoris in brachio sinistro: qui, postquam decem annos molestus fuisset, tertia aut quarta quaque nocte invasit cubantem, adeo ut aeger necesse haberet sedere in lecto per horam aut diutius, priusquam dolor adeo mitigaretur, ut liceret recubare. Cetera, erat sanissimus, et valetudo semper fuerat secunda; pectus autem nunquam doluerat. Hoc malum, si sedem ejus excipias, per omnia referebat anginam pectoris, eodem modo sensim ingravescens, et iisdem omnibus causis exasperatum, et levatum. Porro hic vir, cum haberet quinque et septuaginta annos, repentina morte periit.

Hae sunt exceptiones, et varietates, quas inter aegrotos interdum reperi, aliquantulum discedentes ab usitatiori morbi historia.

Exitus hujus affectus est perquam memorabilis. Qui enim eo tenentur, siquidem, nullo casu interveniente, angina pectoris ad ἀκμὴν pervenerit, omnes repente corruunt, et fere momento pereunt. Cujus quidem mortis non obscuras significationes dant crebri motus deliquii, et perceptiones quasi vitae jamjam defecturae, his aegris familiares.

Angina pectoris, quantum adhuc illius naturam intellexi, ad distensionem, non autem ad inflammationem videtur pertinere.

Nam, primo, subito accedit et recedit.

Deinde, longas habet et integras intermissiones.

Tum, non contemnendam opem praebent vinum, potiones meraciores et opium.

Tum, perturbatione animi augetur.

Tum, multos annos molesta est sine ulla valetudinis detrimento.

Tum, principio non excitatur vectione in curru, aut in equo, ut fieri solet, ubi scirrhus aut inflammatio est.

Tum, in ipsa accessione pulsus non concitatur.

Postremo, nonnullos adoritur post primum somni tempus; quod in morbis ex distensione frequens est.

Non tamen dissimulandum est me ex uno atque altero audivisse, pus et sanguinem subinde exscreatum esse, et ab ipsa doloris sede visum esse proficisci. Porro ex uno, qui subito concidit et extinctus est, odor pessimus, tamquam ex rupta vomica, adstantium nares feriebat.

Inciso cadavere hominis, qui hoc morbo subito perierat, expertissimus anatomicus nullum vitium deprehendere potuit in corde, aut in valvulis, aut in arteriis, venisve vicinis, praeter exigua rudimenta ossea in aorta. Neque porro in cerebro ulla morbi indicia reperta sunt. In hoc autem homine, sicut in aliis eodem morbo peremtis, sanguis per biduum triduumve post mortem perstitit esse fluidus, neque in partes crassas tenuesque divisus est, verum lentus fuit, tamquam cremor lactis. Hinc factum est, ut e vena, quae paulo ante mortem vel forsitan paulo post eam aperta est, sanguis non cessaverit destillare, quamdiu cadaver fuit inhumatum.

Quod attinet ad remedia hujus affectus, parum aut nihil habeo quod praecipiam: neque sane sperari potest nos multum profecisse ad sanandum morbum, qui vix adhuc locum aut nomen in medicorum libris invenit. Quies et tepor et spiritus vini aegrotos fere deficientes recreant, et angorem, ubi diutius manet, discutiunt. Opium hora somni datum impedit ne morbus noctu invadat. Memini unum ex his aegris laborem sibi imperasse dividendi serra ligna per semihoram quotidie, et tantum non sanatum fuisse. Unicum vidi, in quo hoc malum sponte sua finitum est. Sanguinis missio, vomitus et purgantia mihi visa sunt aliena.

Recens scriptor itineris per Alpes facti haec habet: „Qui Alpes scandunt, cum jam pervenerint ad loca, quorum altitudo maris superficiem prope ter mille passus superat, eos saepe occupat ingratissi-

mus sensus quasi lassitudinis, adeo ut prorsus non valeant quatuor amplius passus ambulare; et si pedem proferre contendant, continuo anima deficiat. Sin gradus sistatur modo vigesimam horae partem, quamvis non consederint, omnis iste vitae deficientis sensus transit, et vires redintegrantur [1]." His certe non mediocris intercedit similitudo cum affectu, de quo sermo est.

CAP. LXXI.

De morbo pediculari.

Die Augusti 23io, anno 1762. Hodie mihi narravit Edwardus Wilmot baronettus, se vidisse virum morbo pediculari implicitum. Tumores exigui sparsi erant per cutem, in quibus motus quidam facile cernebatur, et ingens erat prurigo. Ubi acu aperti fuissent, inventi sunt pleni pediculis, per omnia referentibus pediculos vulgares, nisi quod albiores erant. Doctor Wilmot extrinsecus admoveri jussit medicamentum, quod habuit spiritus vini, olei terebinthinae rectificati, singulorum uncias quatuor, camphorae drachmas sex.

Augusti 24to. Idem medicus hodie retulit omnes pediculos fuisse necatos attactu hujus liquoris, et omnem pruriginem fuisse sublatam.

CAP. LXXII.

De phthisi pulmonis.

Si qua fides rationi mortuorum, quae Londini quotannis vulgatur, tabes in illa urbe longe maximas

[1] *Saussure, Voyages dans les Alpes*, tome I. p. 482. Caelius Aurelianus, solus quantum scio antiquorum, pauca habet, quae ad hunc morbum pertinere videntur: „Erasistratus memorat paralyseos genus, et paradoxos appellat, quos ambulantes repente sistuntur, ut ambulare non possint, et tum rursum ambulare sinuntur." *Chron.* lib. II. cap. 1. p. 349. ed. *Amman.*

strages edit? quanta, cum quarta pars hominum, qui ad adultam aetatem perveniunt, illa ferantur perire. Verumtamen horum omnium mors phthisi pulmonis nequaquam est imputanda. Quotquot enim cum obscuro aut probroso morbo diu conflictati, tandem macie confecti sunt, in numerum phthisicorum referuntur, quamquam pulmones omni vitio caruissent.

Phthisis pulmonum fere incipit a tussicula arida, quae, cum videtur parvi interesse, negligitur, donec spatium habuit aliquod, et paulatim aucta periculi metum incutere coepit. Hujusmodi tussis duravit aliquot annos sine aliis malis; imo interdum penitus conquievit, et post intermissiones modo breviores, modo longiores, reversa est. Aeger autem, postquam inter spem metumque diutius traxit, tandem novorum malorum accessione infestatur; quae quoque interdum ipsum primum tussis adventum prope sequuntur. Haec autem sunt spiritus creber, raucitas, fastidium, macies, debilitas, dolores pectoris, sudores effusi per quietem, sputa cruenta et purulenta, horrores, et postea calores, ardores faciei, manuum et pedum, pulsuum numerus superans nonaginta in sexagesima horae parte, crurum tumor, et menstrua in feminis suppressa. Calculus exiguus interdum extussitus est; et cum ad ultima ventum est, saepe supervenit alvus fusa, quae tenues virium vitaeque reliquias praecipitat.

Sputum cruentum nonnunquam fuit primum incipientis morbi indicium: attamen hoc, ubi solum reperitur sine quovis alio malo, plus interdum terroris quam periculi adfert, etiam ubi cruor certissime ex ipsis pulmonibus effluxerit; notissimum vero est, sputa saepe sanguine tingi, qui a naribus, gingivis, aut faucibus destillaverit, dum pulmones fuerint integerrimi. Verum sanguis exscreatus, siquidem alia tabis signa non defuerint, naturam morbi clarissime indicabit[1]. Sputa quoque purulenta vix ullum dubitandi locum relinquerent, modo pus ab ulcere manans discerni posset ab humore purulento, qui ex membrana inflammata effunditur. Sed in hac re error non semper vitari potest; et cognovi expertos et sagaces medicos falsos fuisse.

[1] De sputis cruentis vide quae infra praecepta sunt cap. 84.

Signa morbi periculosissima sunt spiritus creber, et motus arteriarum concitatus. Vidi tabem mortiferam, ubi pulmones inventi sunt penitus corrupti, et tamen per totam aegrotationem sanguis nullus exscreatus erat, nullus fuerat pectoris dolor, neque ulla difficultas in utrumlibet latus cubandi.

Omnes alias phthiseos notas, praeter sputa cruenta et purulenta, memini me vidisse in muliere, in qua glandulae mesenterii post mortem repertae sunt scirrhosae, et pulmones integri fuerunt. Hujusmodi exempla sunt quidem tam rara, ut haud multum dubitare liceat de vitio pulmonis, ubi cetera signa fuerint, licet haec duo desiderentur.

Tabes in illis morbis numeratur, qui a parentibus procul omni dubio saepe derivari, raro tamen se produnt ante pubertatem. Ab hoc tempore ad annum trigesimum praecipue pestifera est. Sed nonnulli jam quadragenarii ea coeperunt occupari, et perierunt, postquam cum signis hujus morbi consuetis quatuor vel quinque annos conflictati fuerant. Alios tussis fatigavit amplius viginti annos, qui tandem quinquagenarii facti vera phthisi pulmonis, cujus omnia signa prae se tulerunt, mortui sunt. Usitatior quidem exitus est, ut quos juvenes et adultos longa tussis vexaverit, eos in senectute reddat asthmaticos. Fieri potest, ut morbilli graviores, vel peripneumonia, vel tussis convulsiva, vel alia adversa valetudo, latentia tabis semina excitent, vel etiam gignant, tam in ultima senectute, quam in pueritia; cujus rei exempla ubique obvia sunt.

Illi maxime objiciuntur phthisi pulmonum, qui parentibus tabidis nati sunt, aut qui in aetate puerili occupati fuerint glandulis lymphaticis tumidis et induratis. Corporis animalis leges nondum satis nobis perspectae sunt, ut dicere possimus, quare glandulae maxillarum, colli, axillarum, inguinis et mesenterii, ad vitia pronae sint in pueritia; et quare in juvenibus et adultis glandulae pulmonum sint morbis opportuniores; dum inclinata aetate glandulae mammarum et uteri in feminis, in viris autem prostata, et in utrisque viscera abdominis praecipue laborent. Mulieribus tabidis graviditas videtur tussim, et reliqua phthiseos mala properare; quae in dies singulos

intenduntur usque ad partum; perdurant enim tamdiu, et deinde brevi moriuntur.

Quaenam sit natura tussis, et quid in ea periculi, nullo alio indicio clarius significatur, quam arteriarum pulsu. Nam gravis tussis, siquidem illae tarde moventur, non impediet quo minus aeger sit in bona spe; levis autem cum pulsu concitato haudquaquam vacabit periculo. Juvenis octodecim annos natus biennium emacuerat, tussi, sputis cruentis, difficultate spirandi, vomitu, doloribus pectoris, et sudoribus nocturnis occupatus: pulsus interea erat vix aut ne vix justo concitatior: atque illi valetudo intra tres annos in integritatem restituta est. Neque hoc est unicum hujus rei exemplum, quod mihi contigit videre. Sanitatem his aegris redditam tribuerim non tam medicamentorum auxilio, quam constitutioni corporis firmae, quae a parentibus tabidis non derivata fuit, neque strumosa labe inquinata; itaque morbus illis accidens vix discrepat a vulnere sani hominis pulmoni inflicto; quod, quamquam multa phthiseos mala accesserint, posse tamen ad integram sanitatem venire usu didicimus. Sic quoque in gravi peripneumonia inflammatio pulmonis, et tussis, et sputa cruenta non impediunt, ne aegroti ex tam ancipiti morbo assurgant, et prorsus convalescant.

Phthisin contagione cum aliis communicari posse, nonnullis Europae gentibus persuasissimum est; verum Britanni vix unquam sibi cavent a consuetudine tabidorum, sive quod isti opinioni fidem non habent, seu quod hujusmodi cogitatio nunquam eorum animos subiit. Quid in hac re verum sit, viderint alii: equidem nondum usu magistro eo progressus sum, ut aliquid certi de ea mecum statuere potuerim: fateor autem me vidisse nonnullos tabe pereuntes, quorum morbus non aliud probabilius habuit initium, quam quod assidue una fuissent aut etiam dormiissent cum tabidis.

Quamquam hic morbus quotidie nascatur, et omnis generis remedia tentata sint, quae vel ratio, vel temeritas, vel spes, vel desperatio, vel superstitio potuerint excogitare, tamen parum profecimus in sananda vera pulmonis phthisi. Neque mirum videri debet pulmonem tabidum a parentibus acceptum, aut ubi corpus strumoso vitio contaminatum est, aegre

vel non omnino cedere medicinae. Quamobrem ea remedia fere sola his aegris succurrent, quae poterunt importuna quaedam mala phthisi saepe accedentia levare; unde, si vita non fiat longior, morbus saltem sit tolerabilior. Lac asininum suavem tabidis cibum praebet, qui febris hecticae calorem temperat, et corpus viresque amissas reparat. Acidum vitriolicum dilutum decocto corticis peruviani instillatum praesens est remedium nocturni sudoris, et, quantum mihi visum est, tuto dari potest quolibet morbi tempore. Spiritus angustia non debet impedire ne aeger utatur hoc remedio, vel etiam opio, quod tussim praeter omnia alia medicamenta compescit, et, si detur cubituro, efficit ne diem taedii plenum vigilia nocturna sequatur. Urgens dolor lateris postulat detractionem quinque unciarum sanguinis, et huic plerumque cedit. Quodsi dolor hebes sit, et diuturnitate sua potius quam vehementia fatiget, emplastrum cantharidis parvum super ipsum locum impositum satis efficax remedium erit. Alvo fusae supervenienti raro non medebuntur tincturae opii guttae tres post singulas dejectiones sumtae. Ad raucitatem, crurum tumorem, aut menstrua suppressa, nihil opus est remediis; cum haec semper fiant in morbo pulmonis tracheaeque, et in extenuato exhaustoque corpore; et proinde ante submoveri non possunt, quam ipse morbus fuerit sanatus. Febris et inflammatio adeo graves esse possunt, ut non nisi sanguinis missione solvendae sint; verum crebrae sanguinis detractiones, quantumvis exiguae, tabidis videntur nocere, et ruentes eorum vires praecipitare.

Incisis phthisicorum cadaveribus vidi pulmonem refertum glandulis tumefactis, quarum aliae inflammatae erant, aliae suppuratae, aut etiam ruptae. Quae, quamquam haud multum discedere videntur a strumosis tumoribus glandularum lymphaticarum in collo aliisque partibus exterioribus, longe tamen sunt periculosiores; quoniam pulmonis officium est ad vitam tam necessarium, ut gravem injuriam subire sine summo discrimine non possit.

Varia remedia strumosorum malorum nobis a majoribus tradita fuerunt, quae omnia usus adeo parum comprobavit, ut verear ne adhuc desideretur medicamentum, quod tumores pulmonis vel nascentes discu-

tiat, vel sanet suppuratos, vel impediat quo minus novi subnascantur. Quamobrem in hoc morbo, sicut in aliis omnibus, quorum certa remedia nondum inventa sunt, aeger contentus esse debet iis praeceptis, quae docent, qualis vitae victusque ratio fugienda sit, qualisque eligenda, ut totius corporis valetudini quam optime consulatur. Quippe his rite institutis, vis illa sui conservatrix omnibus animantibus innata maxime vigebit, et pulmoni laboranti felicissime subveniet. Neque debet quisquam desperare de bono hujus curationis exitu. Mammae mulierum, perinde ac pulmo, glandulis plenae sunt, neque scio an facilius sanentur, ubi induruerint in tubercula scirrhosa; attamen haec, nihil non mali minitantia, vidi, dolore sensim mitigato, tandem conquiescere, aut etiam penitus discuti; et per vires corporis naturales victumque salutarem morbus vel funditus sublatus fuit, vel omni facultate nocendi spoliatus. Idem obtinere posse in pulmonis quoque tuberculis scirrhosis veri haudquaquam dissimile est. Etenim nonnulli juvenes neque pauca, nec levia phthiseos indicia experti restituti fuerunt, et ad senectutem incolumes pervenerunt. Quidam adolescens sedecim annos natus per multos menses conflictatus est cum phthisi pulmonis; et cum jam ad ultima, ut videbatur, ventum esset, magna copia puris erumpente fere suffocatus est; sed post paucos dies exscreata tunica, unde id effluxerat, vires et corpus brevi recollegit, athleticeque valuit et robustus senex factus est, auctus multis liberis et nepotibus bene valentibus. Attamen levi quacunque de causa tussi opportunus erat, et saepiuscule quotannis cruenti aliquid exscreavit. Summus etiam ille medicus Edwardus Wilmot, cum nondum vigesimum complevisset annum, tabe adeo graviter aegrotabat, ut, quod ipse mihi narravit, non solum propinqui, sed etiam expertissimi medici de salute ejus desperarent; vixit tamen, vigitque nonagesimum annum egressus. Quotidianum est, ut mala phthisica leniantur vel conquiescant per totam aestatem, vel etiam per paucos annos; et deinde frigore saeviente, aut temperantiae legibus parum servatis, revertantur et brevi hominem necent. Quodsi haec irritamenta sollicite fuissent vitata, non video cur morbus per totam vitam non siluisset. Quam rem non mediocriter confirmat

historia cujusdam tabe hereditaria occupati, qui in regionem tepidiorem profectus convaluit, et viginti annos sanus vixit, neque scio an morbus unquam redierit.

Optime provisum est, ut quae partes corporis ad vitam necessariae vel summopere utiles sunt, eae modo valde amplae factae sint, modo duplices, ita ut si ex his una vel pars aliqua casu morbove laedatur, supersit tamen quantum ad usus nostros non male suppeditet. Hujus providi benevolique consilii exemplum habemus in pulmone: qui cum in partes duas fere aequales dividatur, altera extenuari et fere in nihilum redigi potest, altera simul haud mediocriter labefactari; ut patuit incisis tabidorum cadaveribus, et factum fuisse credibile est aliquamdiu priusquam morerentur. Multi quoque tussiunt, et vehementer spirant; et subinde cruorem exspuunt per totam aetatem, qui non solum vivunt, sed etiam vita fruuntur. Unde credibile fit, vitam posse constare, atque etiam valetudinem non magnopere perturbari, licet bona pars pulmonis aut inutilis facta fuerit, aut perierit. Itaque postquam tubercula strumosa pulmonem vitiaverint, partesque nonnullas cum aliis conglutinaverint, quasdam etiam penitus absumserint; homo tamen vivere et non incommode valere posset, modo daretur remedium, quod morbum intra certos fines contineret. Phthisis, quae ex labe venerea orta est, saepe gravissimas noxas intulit, et vitam in propinquum discrimen adduxit; adhibito tamen proprio istius veneni remedio, aeger praeter omnium spem convaluit, quamquam pulmo omnia tulerit signa vitii non levioris quam quod factum est in deplorata tabe strumosa. Posteris utinam ad virus strumosum aeque certum remedium aut det ratio, aut fors objiciat! Interea multa sunt, quae tabidum de salute desperare vetant; modo victus ratio bene constituatur, et sollicite vitentur quaecunque aut vires corpori demant, aut morbo addant.

Frigus asperum et venti brumales valentissimos pulmones tentant, et tusses movent; ideoque summopere vitanda sunt ab iis, quorum pulmones sunt infirmiores. Nonnihil juvabit amictus tepidior, qualis est vestis interior lanea; utilissimum autem, si fieri potest, e frigido in mitius coelum transire. Tabido

praeter omnia loca conveniret insula haud mágna, in qua montes nulli excelsi sunt, quae etiam procul remota est a montibus nivalibus aliarum terrarum, et cujus denique ea est temperies, ut mercurius in thermometro Fahrenheitano raro excedat gradum nonagesimum, aut infra sexagesimum descendat. Per quatuor aestivos menses is est Britannici coeli tepor, ut tabidus frustra quaereret aliud sibi convenientius. Itaque nemo Britannus e pulmone laborans solum vertere debet a mense Martio usque ad Octobrem, per reliquos menses ire juvabit in locum, qualis modo propositus fuit. Exercitationis genus illud eligendum est, quod ipsi aegro maximam ferat delectationem, et lassitudinem minimam.

Tabidum oportet inprimis abstinere a vino quocunque et ab omni potione meraciore, item, quantum commode fieri potest, carnem cibo subtrahere; cum vero nonnullis odiosa sint quae ex terra gignuntur, aliquid concedendum est sive consuetudini, sive naturae, ne forte, si caro ex toto sublata sit, vires aegroti magis minuantur quam ipse morbus. Quamvis enim cibi cupiditati non semper indulgendum sit; tamen aégrotantium vota non sunt nimis severe rejicienda, aut prorsus negligenda. Potui aptissima erit aqua pura, qualem praebent fontes montis Malvernensis, vel destillata. Quae vero copiam magnam habet calcis et acidorum mineralium, veneno pejus est vitanda; cum hujusmodi aqua, ut mihi videtur, corpori praecipue inimica est, glandulas lymphaticas impediendo et exulcerando, etiam in adultis, et qui ab omni labe strumosa liberi sunt. Porro haec vitia, nisi fallor, vidi aquae purioris usu discuti.

Navigatio longa a quibusdam, quos curabam, tentata fuit, et, ut ipsis videbatur, non sine morbi levatione; tamen aliis certe parum profuit. Tuta quidem semper est; neque ausim majus quicquam ex illa polliceri. Nonnulli, qui sanguinem quotidie exscreabant, in navi fuerunt sesquimensem, et licet nausea summa fuisset, et vomitus tota via nunquam cessasset, tamen sputa cruenta non aucta sunt.

Sensus nescio quis in faucibus, tussim assidue movens, interdum est admodum molestus; et varia remedia excogitata fuerunt ad hoc importunum malum deliniendum: sicut uvae passae comestae et lente

devoratae: vel aqua ex glycyrrhiza; vel humor ejus decoctus; vel succus sambuci aut ribesiorum spissatus; vel aqua, in qua semen cydonii decoctum est, cum syrupo aliquo jucundo mista; vel mel cum succo limonis; vel sacchari frustum tinctura opii camphorata madefactum: plurima alia ejusdem generis sunt; quibus omnibus parce utendum est, cum breve quidem praebeant auxilium, sed nihil conferant ad morbi sanationem; et quamquam gustui jucunda, ventriculo tamen parum utilia sunt.

CAP. LXXIII.

De colica Pictonum.

Colicae Pictonum duae videntur species esse; quarum alteram recte vocaveris acutam, alteram longam. In priore dolor ventriculi et viscerum subito invadit, et vehementer urget, cum alvo adstrictissima, et interdum cum stupore vel amentia; tum saepe desinit in resolutionem manuum, vel in mortem. Angor, jactatio et vigilia fatigant aegrotos haud multo minus quam ipse dolor. In lecto nunquam conquiescunt, et assidue inambulant, ubi a lecto abstinere possunt. Ad haec saepe accedunt dolores universorum musculorum, maxime prope scapulas, languor summus, singultus, fastidium, vomitus, et umbilicus intus ad viscera retractus. Delirium leve et loquacitas in quibusdam manent aliquantisper, postquam impetus morbi transierit.

In longa specie alvus non semper dura est; tum morbus incipit ab hebete dolore viscerum, qui modo exiguus est vel nullus, modo fit tantus, quantus in hominem maximus cadere potest. Hae vehementes accessiones durarunt vel paucos dies vel mensem, item redierunt tertio vel quarto quoque mense, modo per annum, modo per decem annos, priusquam manus resolutae sunt. Morbo autem crescente et viribus corporis minutis, accessiones doloris fiunt crebriores, et etiam per intermissiones languor non mediocris manet. Urgente hac colica pulsus opinione minus concitatur. Purgata alvo aeger nonni-

hil quidem, sed haud multum levari se sentit. Quidam hoc morbo jamjam perituri visi sunt, qui tamen intra triduum in tantum restituti sunt, ut foras exire potuerint. Contigit interdum, ut qui colica Pictonum laborabant, repentina morte perierint: siquidem vis illa plumbi venenata, nervis inimicissima, quae manus et brachia fere semper resolvit, interdum cor ipsum invadat, motumque ejus et simul vitam subito extinguat.

Postquam manus paralyticae factae fuerunt, tam in acuta, quam in longa specie, assurgere consuevit in dorso alterius vel utriusque manus, prope initium ossis metacarpalis medii digiti, tumor ad nucis parvae magnitudinem, sine dolore vel coloris mutatione. Verum hoc non est perpetuum. Ubi dolores atrociores finiti sunt et paralysis accessit, obscurus dolor in ventriculo remanet, cum vagis doloribus universi corporis; simul cupiditas cibi languet, et non raro nausea est aut vomitus. Corpus et vires sensim amittuntur, praecipue vero extenuatur musculus, qui pollicem adducit. Paulo ante mortem aegri delirant, et fiunt coeci. Crura ad breve tempus interdum resolvuntur; et in quibusdam, sed perpaucis, vidi crura haud minus quam manus perenni resolutione occupata. Inciso cadavere hominis hac colica peremti, nullum vitium intus in corpore deprehensum est, quod ad hunc morbum pertinere mortemque inferre potuisset.

Plumbum in pulverem comminutum, vel ex quovis humore liquatum, procul omni dubio hunc morbum gignere potest. Acuta species fortasse nascitur, ubi multum plumbi intra breve spatium sumtum fuerit: contra, si quis parum sumserit, et diutius idem facere consueverit, tum fit morbus longus. Usus ante bis mille annos homines docuerat hanc venenatam plumbi facultatem; et quamquam fuerit suspicio alias quoque res eadem vi praeditas esse, nondum tamen certo cognitam et exploratam habemus quamlibet aliam hujus morbi causam. Quam etiam sententiam video placere Georgio Baker baronetto, qui doctissime hujus morbi naturam illustravit [1]. Illud vero animadversione dignum, quod in eadem domo, in qua etiam cuncti eodem victu utuntur, morbus saepe

[1] Medical transactions.

unum aliquem arripiat, ceteris omnibus intactis. Ex quo tamen evinci non potest plumbum non fuisse in culpa; quoniam idem argumentum contra causam qualemcunque extrinsecus illatam aeque valeret. Cum vero dici vix possit, quantillum hujus metalli morbo gignendo sufficiat; inde oritur non levis difficultas investigandi aditum ejus in ventriculum. Cerussae acetatae grana tria singulis diebus sumta per quatuor dies initium dederunt alvo adstrictissimae, fastidio et torminibus. Colica Pictonum, tandem quidem sanata, sed quae diu molesta fuerat, orta est e tincturae saturninae guttis triginta quotidie sumtis per mensem; plumbi autem pondus in his guttis triginta vix crediderim excedere unum granum; quas tamen res aegre potest certo definiri. Vasa cuprea vix unquam stanno sic obducuntur, quin simul aliquid plumbi admisceatur: quare si quispiam, saepius quam reliqui ejus convictores, vescatur iis, quae in his vasis cocta sunt, tum maxime si quid acidi est, consequetur eum, vel solum, vel praecipue colica occupari. Aceta etiam, et quae aceto condiuntur, si serventur in fictilibus plumbo illitis, semper inquinantur hoc metallo; quae condimenta cum aliis jucundissima sint, aliis vero displiceant, itaque iisdem in aedibus illi torminibus plectentur, a quibus hi prorsus liberi sunt. Idem etiam venenum latere potest in uno genere potionis, non autem in reliquis, quae eisdem mensis bibenda apponuntur; et dispar erit convivarum sors, nisi parem omnes venenati liquoris modum biberint: ne dicam venena omnia, quae nervis officiunt, varios admodum effectus in variis hominibus edere. Ajunt vinum album plumbo saepius vitiari quam rubrum; et proinde ejus potores opportuniores esse huic colicae; quod ipse in quibusdam aegris suspicatus fui: horum certe unus tum demum morbo suo liberatus est, cum vinum album Ulyssiponense bibere desierat.

Acutam colicae speciem nunquam mihi videre contigit, nisi inter pictores et plumbarios, atque alios artifices, qui plumbo vel ejus fumo objecti fuerant.

In longa specie plumbum secreto itinere in ventriculum se insinuat: quod quidem est calamitosum, et facit summam et saepe ineluctabilem difficultatem hos aegros sanandi. Qui enim nec sciunt, nec suspi-

cantur, quo pacto haec pestis in viscera illabatur, ideoque ab illa cavere non possunt, eos, nisi fors quaedam intercedat, quo minus causa mali assidue renovetur, nulla ars et nemo medicus in pristinam sanitatem restituere poterit. Non est itaque mirum, quod homines ex hoc casu plerumque moriantur. Inter alia intestinorum mala, quibus infantes conflictantur, colica Pictonum forsitan non ultimum locum tenet; quam scilicet contrahunt, dum crepundia sua, minio aut cerussa fucata, ori, ut fit, saepe admovent et lingunt. Artifices horum crepundiorum interdum curavi eodem morbo tentatos.

Prima accessio acutae colicae non semper desinit in paralysin. Illi itaque, qui tali admonitione edocti in posterum sibi sedulo cavent ab ejus causa, quamquam periculosissime laborassent, postea tamen vivere possunt liberi ab hoc malo.

Urgente dolore colico, dare oportet medicamentum purgans, quod viam sibi faciat per intestina spasmis contorta et adstricta; atque etiam opium, ubi dolor praeter solitum saeviat. Prosunt quoque balneum, et emplastrum cantharidis super ventrem impositum. Postquam impetus morbi transierit, conveniunt aromatica et amara, cum ad concoctionem moliendam et ventriculum confirmandum, tum ad praecidendam paralyticae debilitatis causam, vel etiam ad paralysin jam factam, sanandam. Aqua Bathonica ventriculis infirmis amica est, et non contemnendum auxilium his aegris pollicetur: quodsi nonnullis haud multum opitulata est, alii tamen Bathoniae convaluerunt, et ideo forsitan citius, quia istis aquis intus et extrinsecus usi fuissent. Quin alium usum capient aegroti ex itinere ad Bathoniam, cum non tantummodo locum, sed potionem quoque mutent, et cibus aliis vasis coquatur, et condimenta alia apponantur: itaque sperandum est, omnes plumbi aditus fore interclusos, contra quos, utpote ignotos, aegroti non poterant defendi, dum domi manerent.

CAP. LXXIV.

De pituita.

Pituita fauces implens et prope strangulans multos exercet, maxime tempore matutino, illos praecipue, quorum vires et valetudinem vel senectus ingravescens, vel morbi conquassaverint.

Vomitus multum prodest pituitosis, minuendo pituitae copiam: dein vero causae mali occurritur dato quotidie radicis colombae in pulverem contritae semiscrupulo, adjectis grano uno et altero vel piperis longi vel radicis zingiberis: aloës etiam granum cum his commode adhibetur, ubi venter est adstrictior; haec enim ventris conditio in hoc vitio est prorsus aliena.

CAP. LXXV.

De prostatae scirrho.

Prostatae scirrhus est morbus adultae, vel potius inclinatae aetatis. Signa sunt tenesmus, dolor in expellendis duris stercoribus, et cupiditas crebra urinae, quae redditur cum dolore ab extrema urethra usque ad renes pertinente. Ubi scirrhus suppuraverit, mucus etiam cruentus post urinam exit, et testiculi tument. Ulcus hujus partis in intestinum rectum interdum penetravit; unde factum est, ut spiritus per urethram exierit.

Malis ex hoc vitio ortis magna intercedit similitudo cum illis, quae fiunt e calculo vesicae; nec ubique facile est alterum morbum ab altero discernere. Ad hoc scitu utile est dolorem e prostata sentiri initio mejendi: in calculo autem non nisi sub fine: tum vectione in curru vel in equo mucus cruentus non augebitur in prostatae morbo, neque dolor intendetur; quod utrumque contra fit, ubi vesica calculo laborat.

Cum suspicio hujus morbi oborta fuerit, chirurgus arcessendus est, qui manu plerumque scirrhum

prostatae deprehendet, si tumor et durities sint majusculae. At ubi initio morbi haec signa sint obscura et dubia, facile fieri potest, ut, exploratione facta, non eadem sit diversorum chirurgorum sententia de natura mali [1].

Parum opis est in medicina ad solvendum prostatae scirrhum. Medicamenta ex hydrargyro nocent. Decoctum corticis peruviani cum foliorum cicutae quantum sine vertigine ferri potest, tutum saltem remedium est. Utilissimum vero est aquae uncias sex cum tincturae opii guttis triginta, vel pluribus, in alvum infundere. Hoc certissimum doloris remedium singulis noctibus adhiberi debet; unde nox fiet tranquilla, et plerumque somnus movebitur. Idem etiam interdiu commodo iteratur, si angor postulet. Praeter haec auxilia vix est quod medicina efficere possit amplius. Neque enim aegri monitore opus habent, ut discant summam in victu moderationem servandam esse, et abstinendum esse ab omnibus cibis et potionibus calefacientibus, et, quantum fieri potest, etiam a perturbationibus animi.

CAP. LXXVI.

De cutis pruritu.

Naturalia feminarum et virorum scrotum saepe tentantur prurigine molestissima, quae interdum plures annos occupat. In feminis hoc malum saepe accedit profluvio albo, et interdum forsitan ex illo nascitur, siquidem acer humor, non satis ablutus, exsiccetur et cuti adhaereat.

Scapulas quoque, vel universam cutem, prurigine tentari contigit, licet nec icterus, nec quaelibet manifesta cutis vitia fuerint. Hoc malum praecipue exercet senes, et illos quorum valetudo et vires morbis fractae sunt; quos interdiu mala habet, et noctu dormire prohibet.

Usus docuit parum auxilii esse his aegris in balneo. Spongia spiritu vini madefacta et cuti admota

1 De calculo urinae supra dictum est capite 16.

aliquando pruriginem per horam unam solvit. Aqua, in qua radix hellebori albi decocta est, quo modo propositum fuit in capite de cutis vitiis, hunc morbum in nonnullis prorsus sustulit. Profuit etiam loca affecta lavare aqua vel marina, vel picea, vel in qua alumen dissolutum est. Interdum utile fuit ulcusculum in ima et interiore femoris parte excitatum. Vix locus est medicamentis intus datis.

CAP. LXXVII.

De puerperio.

Omnes norunt ex partu difficili fieri solere summam debilitatem, et febrem, et valetudinem adversam. Pustulae ad magnitudinem seminis milii, quae in febribus puerperarum interdum nascuntur, unice debentur, ut multis videtur, calori nimio, quem famularum sedulitas, victusque, vestesque, et aër conclusus, in his mulieribus excitant. Pustulae istae interdum oriuntur, et paucos dies manent, quamvis febris et omnis adversa valetudo absit. Exacto mense uno vel sesquimense a partu, femur alterum in quibusdam coepit dolere, et dein in magnum durumque corpus intumuit, ita ut crus extendi non potuerit. Hujusmodi tumor vix post integrum mensem adeo subsederat, ut sua femori movendi facultas redderetur.

Paralysis et insania, quibus mulieres brevi post partum sunt opportunae, ocyus finiuntur et rarius revertuntur, quam ubi iidem morbi ex quavis alia causa habuerint initium. Febres puerperarum similes sunt aliis febribus, et similem medendi rationem postulant. Principio saepe convenit venam incidere.

CAP. LXXVIII.

De purpureis maculis.

Cutis puerorum interdum ubique distinguitur maculis purpureis, similibus earum, quae in quibusdam febribus

nascuntur. Tamen his adversa valetudo nulla est, neque praecessit, neque subsequitur. Aliae pustulae vix sunt semine milii majores, aliae sunt tres pollices amplae. Post paucos dies cunctae sine medicamentorum auxilio sua sponte plerumque recedunt. In quodam puero sic affecto, si modo digitus leviter cuti imprimeretur, continuo sanguis e vasis vicinis effundebatur, et sugillatio, tamquam in collisis, fiebat.

Simul cum his maculis vidi tumores in artubus inferioribus oriri ejusdem coloris ac reliqua cutis, et sine dolore, nisi tum cum membrum moveretur. Hi tumores post decem dies subsederunt; at notae purpureae paucos adhuc dies superfuerunt.

Puerum quinquennem hujusmodi tumores et dolores pessime habuerunt. Penis adeo intumuerat, ut urina aegre reddi posset. Ad haec, tormina interdum erant cum vomitu, et simul stercora lineis cruentis notabantur, urina quoque sanguine colorabatur. Dolore crura occupante, aeger non poterat ingredi, et brevi post doloris accessum crura punctiunculis cruentis referta erant. Post intermissiones paucorum dierum, tumores et notae cruentae reverti solebant. Haec mala diu puerum fatigabant. Quae alvum leniter moverunt, videbantur aliquantulum juvare. In decocto corticis peruviani parum, aut nihil erat auxilii.

In quodam sexagenario femora, et mox crura, hic illic purpurascebant, et simul cutis durior et crassior fiebat, cum magno dolore ubi stare conaretur. Post sesquimensem cibi cupiditas somnusque minuebantur, pulsus concitabatur, accedebat spirandi difficultas, et paucis post diebus aeger extinctus est. Alios vidi eodem paene modo laborantes, sed multo acutius, sic ut paucos tantummodo dies superfuerint.

CAP. LXXIX.

De rheumatismo.

Multi dolores, quibus nomina nondum propria imposita sunt, quamquam inter se distent, e causis longe diversis orti, tamen ad rheumatismum pariter referuntur. Quem morbum non semper facile est discer-

nere a quibusdam aliis, qui etiam certam appellationem classemque obtinuerunt. Etenim non raro locus est dubitandi, aegrorum dolores ad arthritidem, luemne veneream pertineant, an ex illis sint, qui strumae quoque interdum accedunt.

Rheumatismi duae species sunt, acuta altera, altera longa vel chronica. In acuta, jactatio est ingens, membrumque affectum brevi tumet, et quoties movetur impatibili dolore cruciatur. Tum rubor aliquis fere sublucet; interdum color vix mutatur. Magnitudo febris rheumaticae, siquidem ex arteriis aestimanda sit, minus nocet omnibus facultatibus mentis et corporis, quam aeque gravis febris ex quovis alio morbo orta. Nam isti motus arteriarum, qui cogunt alios desipere aut furere, adeo parum officiunt rheumatico, ut neque languorem afferant insignem, neque semper cibi cupiditatem tollant. Dolores et tumores, contra ac fit in arthritide, in ipsa prima accessione omnes corporis partes aliam ex alia invadunt, nunquam diu manentes in una sede; atque hoc modo vagantur, interdum amplius duos menses. In his aegris sudor multus oriri consuevit, neque morbum levat. Est ubi lecti tepor rheumaticos dolores vehementer auget; sed hoc non est perpetuum; alias enim, tum praecipue in longa specie, idem tepor artus dolentes blande fovet recreatque.

Rheumatismus acutus, qualis mihi videbatur, in uno et altero rediit semel vel bis in anno per complures annos. Nonnulli forsitan, ob hanc ipsam conditionem, talem morbum contendent fuisse arthriticum; et fateor hunc certum circuitum rarissime accidere, et multo saepius fieri, ut qui una accessione liberatus fuerit, ille nunquam experiatur secundam. Rheumatismus certe propinqua cognatione conjunctus est cum arthritide, et solet seorsim invadere pueros arthriticis majoribus ortos, tamquam esset τὰ σμικρὰ τῆς ποδάγρας μυστήρια. Nec longa ejus species minus affinis est paralyseos: nam sequitur fere diuturna debilitas cum tremore et torpore membri affecti, donec artus interdum resolvuntur, et fiunt prorsus inutiles. Rheumaticus dolor mulieris cujusdam humerum occupabat, musculosque vicinos sensim adeo debilitabat, ut vix superesset facultas brachium movendi: post septem menses brachium coepit aliquantulum mo-

veri, et aquis Buxtonicis tandem integre restitutum est.

Habitus corporis strumosus non raro reddit homines obnoxios tumoribus et doloribus, qui vel sunt rheumatici, vel certe omnibus notis rheumatismum mentiuntur. Hujusmodi tumores et dolores modo antecesserunt abscessus strumosos, modo cum illis simul facti sunt. Inflammationes quoque oculorum strumosae nonnunquam commutatae fuerunt cum doloribus membrorum rheumaticis. Tumor et dolor inhaerentes in aliqua corporis parte, et in aliam nunquam versi, raro dici debent rheumatici; quin potius ad distensionem referendi sunt, vel ad distorsionem, vel ad strumam. Sciatica tamen, quamquam eandem certam sedem usque occupet, est vere rheumatica. Lumbago pertinet potius ad spasmum, vel ad distorsionem.

Rheumatismus longus, sicut acutus, ex alio in alium articulum facile transit. Sed in hoc exigua vel nulla febris est, dolor fere obscurus, rubor nullus; tumores vero diu manent, et morbus nonnullos detinet per plures annos; saepius accessiones nullis certis spatiis interpositis revertuntur, donec miserrimam tandem debilitatem intulerint, aut valetudinem penitus corruperint. Quibus notis longa species ab acuta discernitur. Utrumque morbi genus tam feminas quam mares, tam pauperes quam divites infestat.

Haud insolitum est pueros circa nonum aetatis annum in rheumatismum incidere; et memini me curasse quendam cum hoc morbo conflictantem: qui quidem re plurimum distat ab arthritide. Hac enim afflictum ante pubertatem vidi neminem.

Plerumque fit, ut dum rheumaticorum artus gravissimis cruciatibus torqueantur, viscera interea omni dolore vacent. Tamen nonnullos curavi, in quibus rheumatismus fines consuetos transsiliens in ventriculum aut cerebrum versus fuit. Cum autem inter quamplurimos rheumaticos hoc tam raro evenerit, fieri potest, ut me natura morbi fefellerit, et ut ille revera fuerit strumosus, vel arthriticus, vel ad longum potius quam ad acutum rheumatismum pertinuerit. Vomitus assiduus, jactatio ingens, et summum cibi fastidium, in mortem tandem desinentia, virum

quendam exercebant, cujus morbus multis nominibus rheumaticus potius quam arthriticus dici merebatur.

Nec usus docuit, neque ratio excogitavit certa rheumatismi remedia; quo, non minus quam facie sua, nimis similis est arthritidi. Hoc licet ex aliqua parte illis tribuere, qui diversis malis idem nomen imposuerunt. In acuta specie plerisque medicis placuit venam incidere; quod in cognato morbo arthritico adeo reformidant. Et procul dubio iis imperandum est, qui florentis sunt aetatis corporisque robusti, quique morbum suum, quomodo alios morbos cum inflammatione, contraxerint, maxime ubi corpus labore calefactum frigido aëri diutius objectum fuerit. Verumtamen usu mihi comprobatum est copiosas et iteratas sanguinis detractiones plerisque in hoc casu haudquaquam convenire. Memini gravissimum rheumatismum in quendam incubuisse paulo post ingentem sanguinis e naribus profusionem, quae hominem paene exhauserat, et vitam in summum discrimen adduxerat. Idem propemodum alteri quoque contigisse novi.

Linum catharticum, et alia quae vehementer alvum movent, a populo in rheumatismi remediis numerata fuerunt, quae tamen adeo parum profecerunt, ut jam diu est quod in desuetudinem abierunt. Medicamenta etiam sudorem moventia adhibita sunt et in acuto et in longo rheumatismo, et interdum prodesse visa sunt: nemo autem nescit hos aegros sua sponte proclives esse in nimios sudores, neque inde juvari. Balneum multis visum est nocere; ne uni, quantum judicare potui, opitulatum est. Lavatio frigida meo nullum attulit auxilium, modo non mediocriter juvit. Emplastrum cantharidis levavit dolores inveteratos longi rheumatismi; ad quem etiam profuerunt linimenta volatilia et saponacea, partibus affectis infricata. Motus vehiculi adeo non auget hos dolores, ut saepe cognoverim aegrotos graviter afflictos, qui melius habuerunt, dum in curru veherentur, quam domi in sedili conquiescentes.

Medicamenta ex argento vivo mixto cum purgantibus, vel cum opio, saepe data fuerunt rheumaticis: quam medendi rationem reprehendere nolo, quia video eam peritis medicis placere; laudare tamen non possum, quoniam mercurialia medicamenta saepe

tentata, nunquam non subjecerunt nonnullos in rheumatismum; unde etiam fit, ut morbum venereum in quibusdam corporibus semper sequatur rheumatismus; quem scilicet argentum vivum alterius causa adhibitum invexit.

Cortex peruvianus, gummi guajaci, pulvis Portlandicus, remedia ex antimonio, nitrum cum sale volatili mixtum, trifolium paludosum in pulverem tritum, vel aqua in quam id immissum est, item herbae aliae amarae, existimata sunt vi propria valere contra rheumatismum. Verum haec omnia censenda sunt, tamquam quae candidatorum partes sustinent, nondum in numero remediorum efficacium reponuntur. SYDENHAMUS opio uti prohibet in hoc affectu; pace tamen tanti medici dixerim dolores sic impune leniri, et somnum tuto invitari. Praeterea, meo judicio, opium non tantummodo importuni mali praesidium est, sed multum confert ad ipsum morbum tollendum. Vires autem ejus antirheumaticae, cum in sudoribus eliciendis poni non videntur, aeque valebunt in simplici medicamento, ac ubi in Doveri pulvere adhibetur, vel mixtum cum antimonialibus.

Dolores coxarum saepe initium habent ab inflammatione aut exulceratione vicini articuli: quod vitium prorsus diversum est a rheumatismo [1].

CAP. LXXX.

De semine virili.

Qui veneris voluptatibus praeter modum dediti sunt, poenas dant hujus intemperantiae haud mediocri languore corporis animique afflicti. Semen his solet nimis promte elabi, interdum etiam sine sensu, et noctu et interdiu. Lavatio frigida aliquantulum prodest. Praecipuum autem hujus affectus praesidium est vita casta, quae longe fugit omnem occasionem libidinis inflammandae: huic remedio qui fidunt, rarissime spe sua destituentur. Memini duos mihi narrasse semen suum fuisse coloris fusci; quod forsitan

[1] Vide supra cap. 21.

factum est, et ventris quaedam rupta. Quaecunque autem fuerit causa, hic color diutule persistit, illaesa harum viscerum valetudine.

CAP. LXXXI.

De singultu.

Singultus et longis et acutis morbis aliquando accedit. Interdum praecessit accessiones epilepticas, et cum paralysi simul factus est; raro etiam abest ab hepate scirrhoso, et nonnunquam reperitur in ictero simplici, in quo ductus biliferi impediuntur, quamquam hepar ipsum integrum est. Morbi etiam ventriculi et viscerum solent arcessere hoc malum, sive oriantur ab herniis, scirrhis et ulceribus, sive a medicamentis acribus et exedentibus, sive a venenis. Singultus ex omnibus his causis interdum factus est; et permansit non solum plures menses, sed etiam aliquot annos, modo assiduus, modo spatiis incertis interpositis. Unus et alter fatigati sunt hoc incommodo multos menses sine quibusvis aliis adversae valetudinis signis.

In morbis acutis singultus saepe indicat febrem haud levem esse, neque prorsus vacare periculo. Accessit ipso primo morbi die, et duravit septem omnino dies, nimirum, quamdiu aegrotus vixit, omnia consueta remedia vincens. Alius minus vehementer febricitans, qui tamen morbo tandem succubuit, perrexit singultire totos viginti dies.

Sanatio hujus mali saepe non exspectanda est, nisi sanato morbo, a quo pendet. Mixtura moschata ante alia valere existimatur ad coercendum hunc affectum: opium vero remedium est multo efficacius.

CAP. LXXXII.

De siti.

Sitis insedabilis, non secus ac hydrops et diabetes, quibus saepe accedit, vix ipsa morbus dicenda est,

tamen raro deest inter signa morborum periculosorum, aut immedicabilium, quibus viscera abdominis urgentur. Morbus vero, qui etiam hominem tandem occidit, interdum tam lente crescit, ut aeger non nisi triennio post occumbat; et toto hoc tempore pejus multatur siti, quam aut febre, aut difficultate spirandi, aut macie, aut debilitate, quae in plerisque simul fiunt.

Est itaque metuendum hoc malum, neque tamen semper mortiferum. Etenim morbus, a quo pendet, quamquam saepissime omnia medicamenta vincat, tamen interdum solvitur, et aeger assurgit. Verum ubi vitium est insanabile, hoc quoque malum, sicut alia ab eodem fonte oriunda, minui quidem et leniri potest, vix autem ex toto submoveri. Sitis visa est augeri in iis, qui poculis indulgent, et aliquantum levari momento salis nitri linguae impositi.

CAP. LXXXIII.

De spasmo, sive distensione nervorum.

Nervorum distensiones sive convulsiones, et spasmi fiunt, ubi artus moventur et agitantur sine voluntate, et musculi, qui animi imperio subjici debent, ultro sese contrahunt. Musculos omnes exteriores distensionibus obnoxios esse cernimus; et verisimile est idem obtinere in musculis, qui intus sunt. Hujusmodi morbidae musculorum actiones interdum rumpunt aliquam venam aut arteriam, sic ut sanguis exprimatur, cutemque inficiat colore livido, qualis conspicitur in collisis.

Distensiones et membrorum motus sine voluntate familiares sunt in arthritide et affectu hysterico: saepe etiam praecedunt paralysin, aut cum illa simul fiunt; et sunt magna pars malorum, quae secum ferunt epilepsia et chorea Sancti Viti. Causae horum motuum inordinatorum sitae esse videntur, nunc in nervis partis affectae, nunc in cerebro, vel medulla spinali. Distensio, quae chorda penis dicitur, praecipue nascitur, ubi virus acre morbi venerei nervos penis irritat; tamen aliae quoque horum nervorum offensae idem malum inferre possunt; etenim duos homines

curavi chorda penis occupatum, qui ab omni labe venerea liberi erant. Assidua jactatio brachii et cruris sinistri initium duxit e corpore purulento, in quod dextra pars cerebri conversa erat. Hujusmodi exempla multa sunt, in quibus modo pars ipsa, modo origo nervorum in cerebro aut medulla spinali morbo aut vi laesa fuit.

Quidam, postquam a febre periculosa aegre convaluisset, solebat e somno identidem excitari distensionibus crurum vehementibus. At biduo triduove, priusquam illae accederent, assurgebat circa mediam tibiam tumor exiguus mollis ad pisi magnitudinem, qui certissimo semper indicio fuit distensionis mox invasurae.

Exciso testiculo scirrhoso, sexto die accessit difficultas quaedam devorandi, seu potius sensus suffocationis; biduo postea maxilla facta est immobilis; et aeger brevi periit. Idem fere malum vidi in femina hysterica, quamvis nulla esset exulceratio et nullum vulnus. Haec aegra extincta est decimo morbi die, opio et balneo incassum tentatis.

In aetate puerili non tantummodo febres continuae, sed saepe etiam intermittentes, faciunt caput ad alterum humerum inclinari. Quanquam non raro mihi occurrerit hujusmodi capitis inclinatio, nunquam novi eam permanere febre finita. In quibusdam vetulis, quae caeteroquin recte valebant, caput sua sponte volutum fuit ita, ut facies ad humerum spectaret. Hoc in aliis fit ad laevum, in aliis ad dextrum humerum; et diu plerumque perseverat. Vis autem, quae trahit faciem, adeo lenis est, ut facillime superari possit. Itaque caput, dum in pulvinar reponitur, fit rectum.

Febres in insulis Americanis, ut fama refert, mire perturbant cerebri officia, et excitant istos terribiles visu spasmos, qui dicuntur emprosthotonus et opisthotonus. Hi rarissimi sunt in Anglia; neque ausim dicere febres, quas ipse vidi, multum valuisse aut ad gignendas aut ad augendas distensiones. Etenim si alii post incipientes febres distensionibus occupati fuerint, alii tamen hoc ipso tempore ab illis praeter consuetudinem liberi fuerint.

Somnus distensionibus amicus est, ut et omnibus malis, quae ex nervorum affectibus oriuntur. Itaque

hae quoque noctu praecipue molestae sunt. Alios invadunt in somnum labentes, alios expergiscentes, multos etiam dormientes excitant. Potus acidi nonnullis visi sunt distensiones intulisse.

Distensiones leves solvuntur mutando membri situm. Nonnullis praesidio fuit spiritus vini subtilissimus suris infricatus. Item tincturae opii guttae quinque cum tincturae asae foetidae guttis quadraginta hora somni sumtae submoverunt distensiones, quae singulis noctibus redire consueverant diutius. Interdum accedente podagra distensiones existimatae sunt aliquantum conquiescere: multo saepius ex illa novas vires acquisiverunt. Manus mulieris, quae multos menses fuerat distensione clausa, et nulla vi aperiri potuit, digitis adeo fortiter compressis, ut ungues in volam manus penetravissent, in balneo protinus soluta est. Ejusdem quoque mulieris corpus cum simili modo fuerat incurvatum, eodem auxilio in erectum situm restitutum est. Balnea Bathonica nescio an solo calore aegris ibi lavantibus opitulantur; etenim nihil videtur interesse, in has aquas an in alias quascunque aeque tepidas descendant. Lavatio frigida in his morbis inutilis fuit.

CAP. LXXXIV.

De sputis cruentis.

Sputa cruenta, ubi sanguis e pulmonibus fertur, et tussiendo ejicitur, non injuste terrent. At cura opus est, ut ab illo morbo discernatur, in quo cruor sine tussi a stomacho vomitur, vel e naribus in fauces destillat. Impuberes raro occupantur hoc malo. Etiam qui tabidis parentibus nati sunt, et ipsi tabe pereunt ante vigesimum aetatis annum, saepe liberi sunt ab hoc et quolibet alio signo phthiseos pulmonis, usque ad pubertatem. A pubertate autem usque ad senectutem nullus est annus, quo sputum cruentum non inciderit.

Periculum eo majus erit, quo plura et graviora tabis signa accesserint, et quo aeger minus aetate provectus sit. Sputa cruenta interdum fiunt sola, sine

quibuswis aliis adversae valetudinis signis; neque majorem conatum postulant quam pituita, quae facillime exscreatur. Et fit aliquando ut sanguis paucus exeat e trachea vel pulmonibus, ubi hae partes sunt satis sanae; et proinde periculum non majus est, quam si ferretur e venis haemorrhoidalibus, vel e naribus, praesertim si hoc fiat in senioribus. Novi septuagenarium secundae valetudinis, qui per annos quinquaginta raro biennium liber fuit a sputo cruento. Alii quoque per idem fere spatium eum morbum subinde experti sunt. Peripneumonici, morbo jam inclinato, mucum cruentum exscreare consueverunt, et tamen convalescunt sine ullo tussis aut cujusvis injuriae vestigio. Ex his nonnulli, quorum morbus diutius traxit, et qui conflictati sunt cum tussi et spirandi difficultate, et macie, convaluerunt tamen et multos annos integri vixerunt. Gravia vulnera sanorum hominum pulmonibus inflicta fuerunt, quae neque mors, nec tabes secuta est: etsi tenuis pulmonum fabrica, et ingens vasorum sanguiferorum numerus, tum motus eorum assiduus, et sedes, ad quam pertinere remedia non possunt, metum incuterent, ne largior sanguinis profusio nulla arte esset medicabilis. Credibile tamen est hujusmodi vulnera consanuisse[1]; quoniam per annos quadraginta sanguis non rediit. Illud etiam memorabile est, quod inter quamplurimos, quos vidi sanguinem exspuentes, unus tantummodo fuit, qui ingenti et repetita profusione exhaustus periisse videbatur. Quidam superstes fuit biennium, et forsitan diutius, qui exscreaverat libram sanguinis quotidie per mensem integrum. Non modo pulmonis motus naturalis fertur sine notabili sanguinis augmento, sed etiam vomitus in nave assiduus per sesquimensem non omnino exasperavit hoc malum.

Quae jam dicta sunt, non sinunt omnes hos aegros de salute sua desperare. Verum non est dissimulandum sputa cruenta plerumque desinere in tabem brevi mortiferam; vel saltem inferre tussim et spirandi

[1] Vide *Transactions of a Society for the improvement of medical and chirurgical knowledge*, vol. II. p. 169. Corpus incisum est, in quo vulnus pulmonis glutinatum erat. [Notula Heberdeni filii].

difficultatem, quae singulis hiemibus in pejus vertuntur.

Quantum intelligo ex iis, quae de hoc morbo annotavi, nihil singulare mihi obvenit, quod usitatae medendi rationis auctoritatem vel confirmet vel levet. Constat abstinendum esse ab omni motu vehementiore et calore, ideoque vitanda esse vinum, fercula lautiora, conclave calidum, alvum nimis adstrictam, et qualemcunque vocis aut virium contentionem. Juvat subinde sorbere infusum rosae; et interdum opus erit tinctura opii. Si tantum tribuam opinioni populari, ut non repugnem quo minus exiguus sanguis bis aut ter mittatur, ubi morbus non fuerit gravis; attamen summe cavendum esse censeo a larga et crebra sanguinis detractione; quae cum morbo conspirabit ad aegrotum exhauriendum.

CAP. LXXXV.

De steatomate.

Tumores steatomatosi, qui magnitudine sua deformes et incommodi sunt, tuto exscinduntur, et vix aliam admittunt curationem. Interdum sponte sua supperati consumuntur.

Duo pueri, alter quatuor, alter octo annos natus, ubique per corpus universum ferebant tumores, alios nucis parvae, alios nucis moschatae magnitudine, qui ad steatomata referendi videbantur. In altero ex his pueris cibi cupiditas erat naturali major: ambo erant tenuis seu potius nullius valetudinis, et indies infirmiores facti, brevi perierunt.

Tumores molles ad magnitudinem pisi, aut paulo grandiores, et sine dolore, nunc in brachiis fuerunt, alias in malleolis, cubitis, et genubus, non sine suspicione labis venereae. Vidi hujusmodi tumores in brachiis, qui post sex annos recesserunt: in aliis autem decem annos perseverarunt.

CAP. LXXXVI.

De stranguria.

Stranguria, sive crebra et urgens cupiditas urinae cum summo dolore, interdum fit ex graviditate, saepe ex morbis uteri, prostatae, aut vesicae; initium quoque ducit e stercoribus duris rectum intestinum implentibus, et ab injuriis urethrae factis a recentibus, vel crebris, vel male curatis gonorrhoeis.

Quinetiam nonnulli cibi ortum dederunt huic malo, et quaedam medicamenta; cujus generis sunt piper, semen sinapios, radix raphani rusticani, et alia acria, quae e terra gignuntur, item vina aspera. Kali acetati drachmae sex excitarunt hunc dolorem, quod fere semper fecit drachma olei terebinthinae rectificati. Omnes norunt cantharides hac facultate donatas esse, non solum intus sumtas, sed etiam ubi extrinsecus imponuntur. Quae quidem res, sicut aliae non paucae, documento est, quam parum cognitam habemus corporis animalis naturam: prorsus enim nescimus, quo pacto fiat, ut cantharides viam sibi faciant ad vesicam per tot canales, et quidem tam tenues, sine minimo eorum detrimento, quamquam vesica ipsa miserabiliter crucietur laceretarque; quemadmodum ex emplastro cantharidis nimis saepe fieri experimur. Neque minus mirum videtur, uno emplastro imposito stranguriam gravem fuisse excitatam; postea vero in eodem homine et in eadem aegrotatione quinque simul admoveri potuisse impune. Quinetiam postquam cutis exulceratio per cantharides septem annos servata fuerat sine difficultate urinae, tanta subito stranguria orta est, ut non nisi sanatione exulcerationis potuerit leniri.

Ita comparata sunt nonnullorum hominum corpora, ut levissima de causa incidant in stranguriam. Emplastrum cantharidis per diem unum et alterum cuti admotum excitavit stranguriam, quae multos menses perseverabat esse molesta. Alii per totam aetatem ab infantibus saepe hoc malo cruciati fuerunt, tum praecipue quoties aegrotaverint, quamquam neque cantharides, neque alia quaelibet manifesta hujus doloris causa fuerit. Hoc vitium familiare est utrique sexui

in senectute, et non immerito forsitan in malis arthriticis numeratum fuit.

Adversus stranguriam, ut mihi videtur, parum utilia sunt quae intus sumuntur. Haud valde negaverim oleum et gummi arabicum aliquantulum juvare; camphora autem, pariter ac alia resinosa, aptior est ad eam gignendam, quam ad tollendam. Uvae ursi vires ad hunc affectum incertae sunt; neque tamen diffitendum est hanc herbam quodammodo afficere posse istas corporis partes, quae urinam excernunt; etenim cum saepe data esset cuidam calculoso, urinam ejus semper infecit colore viridi. Urinae difficultatem a venereis malis ortam candelae in urethram immissae multum levant potius, quam tollunt. Oleum in urethram infusum, vapor aquae calidae naturalibus exceptus, fomenta tepida, et emollientia perinaeo et pubi admota, saepe utilia fuerunt ad mitigandum hunc dolorem. Optimum vero remedium est, aquae tepidae uncias sex cum tincturae opii guttis viginti, vel, si opus sit, sexaginta, in alvum infundere; quod exoptatissimum praebet solatium in affectibus, qui licet sint insanabiles, levari tamen ad breve quoddam tempus non recusant.

CAP. LXXXVII.

De struma.

Iste corporis habitus appellatur strumosus, in quo glandulae lymphaticae tument cum exiguo vel nullo doloris sensu. Hoc fit saepissime in collo, interdum in axillis, rarius in inguine. Glandulae quoque mesenterii eidem vitio opportunae sunt, et fortasse omnes aliae hujus generis glandulae, quae intus in corpore sitae sunt. In his aegris labra etiam, et nares solent tumere, et palpebrae saepe inflammantur et exulcerantur. Quibus malis interdum accedunt cutis vitia, et cursus puris ex auribus. Huc quoque referendae sunt istiusmodi tonsillae, quae diutius tument cum quadam devorandi molestia, vel quae subinde inflammantur ad breve tempus non sine febre.

Aetas puerilis majorem in modum opportuna est

affectibus strumosis, tum ii praecipue qui sunt imbecilliores, et quorum cutis est coloris candidioris ac venusti. Exactis annis pubertatis, tumores glandularum et palpebrarum inflammationes minui incipiunt, et in media aetate saepe prorsus finiuntur. In nonnullis autem haec vitia relictis partibus exterioribus intus vertuntur, et pulmonem invadentia tabi insanabili ortum dant. Tumores glandularum exteriores et inflammationes praecipue quidem dominantur in pueros, non tamen in illos solos; etenim vidi circiter decem homines valetudinis, ut videbatur, secundae, in quibus glandulae lymphaticae non nisi post trigesimum aetatis annum intumescere coeperunt; in uno etiam et altero jam fere sexagenario tumor primum conspectus est. Origo hujus mali in illis, qui bonam aetatis partem sani egerunt, tribuenda videtur mutationi victus in minus salutarem. Aqua impura ac saponis impatiens unum saltem ex his adultis in strumam conjecisse jure censebatur. Hic enim plus triginta annos vixerat integer ab omni labe strumosa, cujus signa tum demum venerunt in conspectum, cum hujusmodi aquam paucos annos bibisset. Glandulae vero lymphaticae in collo et axilla pergebant tumere, et interdum suppurabant, quamdiu his aquis utebatur: verum postquam puriorem bibere coeperat, tumores paulatim recedentes, tandem omnes consumti sunt; neque post triginta annos redierant [1]. Glandulae thyreoidis tumor frequens est in quibusdam Angliae locis, quem equidem aquis insalubribus deberi crediderim. Alpes ejusmodi tumoribus infames sunt. Errant autem longe, mea quidem sententia, qui tumidum Alpium guttur nivi imputant; etenim vix aliud praesentius hujus vitii remedium excogitari possit, quam potus aquae nivalis, eximiae scilicet puritatis.

Praeter illam strumae speciem, quae continetur in modo memoratis glandularum tumoribus, alia est, quae

[1] Incolae cujusdam urbis Gallicae (Rheims), dum aquis putealibus utebantur, adeo afflicti erant malis strumosis, ut nosocomium haberent solis his aegris destinatum: verum aqua e fluvio vicino ad urbem deducta in usum incolarum, numerus sic aegrotantium minui coepit, et post triginta annos dimidio minor factus est. *Soc. Reg. Med. Paris.* vol. II., *Hist.* p. 280.

incipit in artubus ab exiguo tumore, qui interdum biennium permansit, priusquam coeperit exulcerari. Virus autem hujus ulceris in quibusdam aegris adeo acre est et exedens, ut erosis cartilaginibus, et ossibus carie corruptis, membrana fiant inutilia, vel etiam, dissolutis articulorum nexibus, digiti pedum manuumque excidant. Ad hanc strumae speciem pertinere videtur malum illud puerile, quod articulo femoris superiori insidet, et tandem insanabili ulcero facto, lenta tabe aegrum consumit. Inferior quoque femoris articulus, ubi cum tibia committitur, non dissimili vitio interdum laborat; quod multo diutius trahere consuevit, et non raro manet usque ad senectutem: aeger interea, genu tumefacto, et interdum dolente, aliquantulum claudicat et subinde male habet; licet non paucae intermissiones sint, in quibus satis commode valet. Utrique affectui saepe accedunt signa strumosi habitus consueta.

Contigit interdum mala strumosa sequi morbillos et variolas; unde nonnulli suspicati sunt hos morbos nescio quam noxam corpori imprimere, quae neglecta tandem adolescit in strumam. Hanc opinionem usus mihi satis incertam reliquit; quam tamen aegroti et eorum propinqui eo avidius amplectuntur, quia malunt existimare hoc vitium fuisse adventitium, quam innatum et hereditarium.

Struma et lues venerea nonnunquam eundem hominem simul occupant; quod ubi fit, altera alterius nocendi vim plurimum auget.

Tumores glandularum lymphaticarum in collo et axillis manserunt viginti annos immutati, nisi quod aliquantulum grandiores facti sunt, quoties frigus fuisset collectum. Attamen hoc rarum est. Saepius vel paulatim minuti, modo post aliquot menses, modo post paucos annos finiuntur; vel inflammantur et suppurant. Tumores grandiores, priusquam se subducant, fatiscunt et in complura tubercula parva resolvuntur, cum levi prurigine. Tumores minores primum mollescunt, dein subsidunt, et in statum naturalem revertuntur. Exempla horum omnium quotidie occurrunt. Quodsi glandulae tumefactae coeperint rubere et inflammari, longe abest ut cito in bonum pus concoquantur: lentissime enim et imperfecte suppurant, atque ita tabescentes tandem consanescunt.

Has glandularum exulcerationes nunquam vidi fieri carcinomata in puerili aetate, et non nisi bis terve in adulta.

Nullus, ut mihi videtur, locus est cataplasmatibus, emplastris, aut vestimento tepidiori, ubi glandulae strumosae nondum ruptae sunt. Dolor enim multo levior est, quam ut tale auxilium requirat; et parum constat iis inesse vim aliquam tumores discutiendi. Quodsi quis calorem et remedia extrinsecus adhibeat eo consilio, ut pus moveat; nae ille id molitur efficere, quod ne fieret summis viribus contendere deberet: neque enim temere reperies magis infaustum hujus morbi exitum. Fit tamen aliquando ut glandulae vitiosae sponte sua spectent ad suppurationem, quam nullo modo vitare licet: sub quo casu res tota naturae permittenda est, quae sine ferro vel ustione ulcus rite aperiet, et, modo lenissimo quovis emplastro contegatur, ad sanitatem perducet.

Inflammationes palpebrarum et oculorum strumosae interdum sanguinis missionem postulant, quem per hirudines detrahere convenientissimum est; quatuor vel plures temporibus sunt admovendae quarto vel septimo quoque die, in mensem integrum, vel diutius. Plurima collyria celebrantur et veterum et recentiorum medicorum scriptis, quae omnia spem meam plerumque destituerunt. Optimum autem remedium, ut mihi videtur, ad levandum dolorem, et ad inflammationem mitigandam, est cataplasma ex interiore parte panis, vel e seminibus lini contritis, duplici linteo inclusum et super oculos impositum. Neminem poenituit margines palpebrarum exulceratarum adipe suillo emollito singulis noctibus inungere; quod nisi fiat, palpebrae sibi invicem noctu agglutinabuntur, et vi quadam mane diducendae erunt, cum doloris et ulcerationis incremento.

Medicamenta ex argento vivo sunt aliena in morbis strumosis: et nescio an hi praecipue intendantur a lue venerea, propter remedia ad hujus curationem necessaria. Lavatio in mari, potus aquae marinae, succus spissatus cicutae, cortex peruvianus vel per se vel ex aquis purgantibus datus, spongia usta, sal sodae, fonticuli, et aliae exulcerationes diu servatae, sunt praecipua strumosi habitus praesidia; quae qui-

dem omnia usus docuit tuta esse, et interdum utilia. Quodsi cui desit ista animi constantia, qua opus est ad diutissime perseverandum in usu horum remediorum; ille non male sibi consulet, dum summae in cibis temperantiae unice confidat, et nullo alio potu utatur praeter aquam purissimam, qualis est quam praebent fontes collis Malvernensis.

CAP. LXXXVIII.

De tenesmo.

Tenesmus, seu frequens desidendi cupiditas, dum interea parum aut nihil dejicitur, e variis causis oritur: nam primo illum excitant stercora dura intestinum rectum implentia, et non nisi aliena ope expellenda: deinde scirrhus sive uteri, seu intestini recti, seu prostatae: tum stranguria, seu fiat a calculo vesicae, sive a cantharidibus: denique debilitas musculorum ani, vel sensus eorum nimis acer, qui interdum accedit colicae saturninae, aut intestino prolapso, et non raro sequitur apoplexiam, et partum difficilem, et dysenteriam.

Tenesmus exasperatur stando aut ambulando, et levatur sedendo. Tinctura opii in alvum infusa est plerumque praesentissimum hujus mali remedium, vel saltem allevamentum; nam ubi ab alio malo pendet, finiri non potest priusquam ille fuerit sanatus.

CAP. LXXXIX.

De testiculorum vitiis.

Testiculi tument non solum ex ictu, et malis venereis, sed interdum quoque ex febre intermittente, quacum tumor simul accedit, deceditque, et febre sanata protinus finitur. Hoc plus vice simplici contigisse memini. Idem in nonnullis intulit gravedo ex frigore collecto. Prostata scirrho laborans testiculos tumefecit, atque etiam calculi, et alii renum affectus.

interdum tumor occupavit testiculum sine quavis manifesta causa, et post paucos menses sponte sua decessit: in aliis permansit augeri per aliquos annos, et tandem in scirrhum desiit, qui modo annis viginti, modo multo citius, carcinomate facto, hominem occidit. In testiculo scirrhoso ulcus fistulosum interdum factum fuit, quod aegrum diu fatigavit.

Medicamentis purgantibus lenioribus locus nonnunquam esse potest; validiora sunt aliena. Ubi dolor est vehementior, cataplasmata adhibere oportet. Ubicunque vel dolor, vel tumor est, scrotum sacculo idoneo sustineri debet. Unicum remedium est testiculum scirrhosum excidere, modo chorda spermatica integra sit; sin haec quoque malo eodem vitiata fuerit, nullus remedio locus est. Hydrocele, ut habeat aliquid incommodi, periculi tamen vacat; sed quoties opus fuerit, ferrum tuto adhiberi potest, et fere sine dolore. Chirurgi interdum utuntur curatione, quae prohibet ne aqua iterum renascatur; de qua eorum libri sunt consulendi.

CAP. XC.

De torpore.

Torporem dicimus, ubi sensus tactus hebes est et obscurus. Nulla quidem corporis humani pars est, quae non interdum torpet; maxime autem artus huic casui sunt opportuni. Quamquam innumeri sunt torporis gradus, rarissime tamen fit, ut tactus ex toto amittatur, et penitus pereat, etiam in paralyticis deploratis.

Torpor saepe oritur e causis omnino levibus, velut e situ membri incommodo, et mox discutitur, nullum periculum intendens: nonnunquam initium ducit ab istis nervorum vitiis, quae valetudinem subruunt; et praecessit distensiones nervorum, paralysin, et apoplexiam. Senectus videtur subjectior huic affectui, tam in viris, quam in sexu debiliore: in juventute feminae cum eo conflictantur saepius quam mares. Noctu praecipue membra solent torpere, tum quia per quietem diutius manent in eodem situ;

quia somnus favet omnibus illis malis, quae ad nervos pertinent.

Torpores familiares sunt valetudine conquassata, et illis, qui a parentibus paralyticis nati sunt. Modo antecesserunt, modo secuti sunt paralyses, et apoplexias, interdum quoque cum his simul facti sunt; et jure numerantur in signis horum morborum. Cumulo malorum hypochondriacorum et hystericarum vulgo accedit artuum torpor, qui et in his et in aliis permansit non solum multos menses, sed etiam annos non paucos, et tandem illaesa valetudine se subduxit. Sinistra pars corporis in quodam torpuit quinque et viginti annos.

Quaenam sit natura, et qualis futurus sit exitus torporis, optime intelligitur ex ejus sociis. Si enim cum aliis malis paralyticis accesserit, et non exiguam corporis partem stupefecerit, maxime in iis, qui parentibus nati sunt paralyticis, subest procul dubio periculum, et ad paralyseos praesidia sine mora confugiendum est. Ubi autem minima quaedam pars laboret, et vel nulla alia mala sint, vel ea tantum, quae hypochondriacorum et hystericarum propria sunt; praestabilius erit negligere hunc affectum, quam medicinam adhibere. Si quis tamen, nescio quid metuens, nequeat sibi temperare a medicina, illum scire oportet emplastra quae exedunt, et balnea aliquoties profuisse; lavationem frigidam et sanguinis missionem fuisse alienas; arthriticum inutilem; vires autem electricitatis nondum usu satis esse compertas.

CAP. XCII.

De tremore.

Caput et manus interdum tremunt, et speciem aliquam paralyseos prae se ferunt; usu autem comperimus hujusmodi tremores majorem vitae partem perseverasse nullo quolibet alio morbo subsequente. Quamquam, si forte aliquatenus spectent ad paralysin, procul tamen ab ea distant, et profecto incommodi plus est quam periculi. Hypochondriaci saepe hoc

vitium experiuntur; ebriosi ab eo raro liberi sunt. Idem quoque in senectutis malis frequentissimum est. Hic, perinde ac alii nervorum affectus, mane post somnum consuevit molestissimus esse; et qualibet mentis perturbatione augetur. Thea herba, baccaeque coffeae faciunt nonnullorum manus tremere; sed hoc nequaquam est perpetuum. Cognovi virum, qui aquam ex his baccis biberat fere quotidie per quadraginta annos, cujus manus etiam in ultima senectute minime tremuerunt. Quamplurimis aliis hae potiones impune bibuntur: quod ita esset, Sinenses Turcaeque omnes ad hunc modum laborare deberent. Verum historia horum populorum non ostendit artus trementes esse morbum istarum regionum proprium. Quae paralyticis et hypochondriacis affectibus medentur, eadem, si qua postulantur, tremoribus quoque convenient.

CAP. XCII.

De tussi.

Tussis modo ortum suum habuit a nimio vel nimis acri humore destillante in tracheam, sine vitio pulmonis; modo a morbis ventriculi aut intestinorum, quales sunt lumbrici; et glandularum mesentericarum tumores; quod nos docuit cadaverum incisio. Non raro tamen fit a pulmonis inflammatione, scirrho aut ulceratione: atque ea est interdum pulmonis conditio, ut morbus totum intra breve spatium corripiat, corpusque immedicabili tabe celeriter consumat: in aliis vitia pulmonis videntur in eodem fere statu permanere, viginti, vel triginta, vel etiam quadraginta annos; interea corpus impletur, et aeger satis commodae valetudinis est, vix aliud malum querens praeter tussim. In aliis morbus pulmonis serpit quidem, sed tardissime; et quamquam tussis singulis hiemibus ab usque juventute fiat paulo molestior, pulmo tamen non adeo laborat, ut gravis spirandi difficultas accedat, nisi matura jam senectute. Sed et pulmonis ulcus, ut conjecturae fas erat ex humore purulento et cruore exscreatis, multos annos intra veteres termi-

nos sese continuit, vel eosdem lentissime superavit. Interdum ulcus tunica inclusum fuit, quam tandem aeger extussiit non sine magna contentione et strangulationis periculo; quo facto, pulmo videtur consanuisse.

Nervorum distensiones et perturbationes hystericae, quemadmodum ceteros omnes corporis musculos exercent, sic quoque musculos spirandi; unde fit tussis vi sua molestissima; pulmo interea non magis violatur quam aliae corporis partes, quae, postquam gravissime fuerunt convulsae, vel statim vel brevi ad pristinum statum revertuntur. Hujus generis tusses, ut et illae, quae a destillatione nascuntur, vehementiores sunt, et magis sonorae, quam quae fiunt e tabe, sive incipiente seu deplorata. Idem dici potest de ista tusse, quae proficiscitur a corpore quovis duriore in tracheam delapso. Memini tussim saevam et indomabilem menses aliquot arsisse hominem, in cujus tracheam particula ossis deciderat, qua tandem extussita, illa protinus conquievit.

Tussis nonnullos nunquam cessat occupare, quamdiu liberi sunt ab oculorum inflammatione, podagra, tinea, atque aliis vitiis cutis. In animo semper tenendum est, longas tusses haud procul abesse a periculo tabis, et proinde postulare victum refrigerantem, ne forte pars sana pulmonis vitiatae contagio corrumpatur. Haud defuerunt exempla eorum, quos tussis in annos viginti exercuerat, quique alios forsitan viginti annos perdurare potuissent satis commode valentes, nisi gravis quidam error in ratione victus, aut frigus collectum, eos in phthisin praecipitaverat, et citam mortem intulerat. Saepe difficile dictu est, tussis phthisica sit, an levis et nullius momenti. Pleraeque omnes tusses quodammodo spectant ad phthisin; in quam profecto nonnullae tam rapido gradu feruntur, ut exitus nemini dubius esse possit; aliae vero non paucae sunt, de quibus nemo medicus sine dubitatione pronuntiare potest, nisi antea sciverit aegrum vivendi ratione salutari semper usurum esse, et semper tutum fore a colligendo frigore, et a peripneumonia.

Venam incidere et opium adhibere, pro ratione morbi, victu tenui uti, et ex alio in alium locum trans-

ire, optima praesidia sunt, vel ad tussim molestam leniendam, vel ad prohibendum ne fiat periculosa.

CAP. XCIII.

De tussi convulsiva.

Tussis convulsiva praecipue fit in aetate puerili, et est procul dubio contagiosa. Hic morbus diu trahit, saepe menses haud paucos manens; et quamquam interdum levis sit et omni periculo vacet, interdum tamen occidit. Pituitae abundantia, vel vomitus, et vehementia accessionum, et intermissionum integritas, ipso initio hanc tussim ab aliis satis plerumque distinguunt: postea autem errori nullus est locus, cum tussis perseverat, donec aegri paene deficiant, priusquam spiritum attrahere possint; quod cum inusitato quodam sono fit, proprio hujus tussis indicio, unde etiam nomen apud nonnullas gentes impositum est. In quodam puero tussis fuerat tres menses, priusquam hic sonus accessit. Prae vehementia tussis saepe sanguis e naribus exprimitur, vultus nigrescit, et interdum oculis ea vis infertur, quae reddit eos semper in posterum imbecillos. Hic affectus raro eundem plus semel invadit; attamen curavi nonnullos, qui mihi fidem fecerunt se bis eo fuisse implicitos.

Senectus minus quidem opportuna est huic morbo, nec tamen prorsus secura. Vidi feminam septuagenariam et senem octogenarium hac tussi occupatos. Puer advenientem praesentit, et ad matrem vel famulam accurrit; at adulti, accessione victi, momento temporis velut attoniti concidunt; illico vero resipiscunt, atque hoc est proprium hujus affectus signum in adultis. Qui enim praeter solitum tussiunt, et nuper versati fuerunt inter aliquos tussi convulsiva laborantes, siquidem morbo concidant, nullum relinquunt locum dubitandi de natura aegrotationis. Aegri, de quibus sermo est, majorem in modum queruntur inflationes.

Usu didicimus mutationem coeli maxime valere ad vim morbi leniendam, et finem ejus accelerandum. Ventriculus adeo laborat pituita et inflatione, ut

rheuma purgando, et amarat confirmando; non possint non esse utilia. Tussis convulsiva cognata est aliis nervorum distensionibus, ideoque verisimile est opium mixtum cum mosche, lacte ammoniaco et vino antimonii, contra eam profuturum. Nondum tamen eos horum medicamentorum effectus vidi, ut centum auxilium iis inesse confidam. Multa quidem ubique jactantur hujus pestis remedia, ut fieri solet adversus morbos, quorum nulla certa remedia inventa sunt. De talibus auxiliis, vetus illud nimis verum est, ἀγαθοὶ, αὐτοῖς φίλοι.

CAP. XCIV.

De valetudine conquassata.

Morbi graves, et multae aliae causae, vires vitae labefactant, et valetudinem damno nunquam resarciendo multant, quae ex illo quotidie it in pejus. Valetudinis sic afflictae et conquassatae haec fere signa sunt: pallor, facies modo tumidior, modo macie extenuata, sitis, difficultas spirandi, palpitationes cordis, inflationes, fastidium, nauseae, frequens cupiditas urinae, stercus et urina sine voluntate reddita, crurum tumores, dolores vagi, distensiones corporis, et virium amissio, lassitudo, prurigo cutis, tremores, torpores, febricula, languor, animae defectiones, veternus interdiu, vigilia noctu, mens obliviosior.

CAP. XCV.

De variolis.

De summa variolas inoculandi utilitate, tum de ratione curandi inoculatos, jam inter omnes medicos Britannos convenit; et nihil habeo quod addam illis, quae nuper tradita fuerunt de his rebus in multorum medicorum libris, qui in omnium manibus sunt. Scrupulus autem aliquis mihi restat de securitate eorum, in quibus pustulae vel nullae eruperint, vel nunquam

rite maturuerint; illud in loco inoculato ulcus factum sit cutem erodens, et non nisi post multos dies sanatum. Vidi enim feminam variolis numerosis occupatam, quae solito more suppuraverunt et exaruerunt; quamvis mihi fidem fecit se ante annos decem fuisse inoculatam, et post quinque dies febriculam sensisse cum quodam capitis dolore, quam secutae sunt pustulae paucae, cito quidem recedentes sine suppuratione; at pars inoculata alte exulcerata fuerat per decem dies, et deinde lata cicatrice notata, quam ipse vidi.

Quae de bene multis aegrotis annotaveram, qui non fuerant inoculati, sed variolas fortuito contraxerant, ea omnia non in librum cum ceteris morbis, verum in chartas seorsim conjeceram, quae fere omnes nescio quo casu interciderunt. Amissis his, cogor objicere consilium tradendi primo historiam variolarum usitatissimarum, deinde varietates earum, et dissimilitudines. Paucae quae supersunt chartae praecepta sequentia suppeditarunt.

Multa me exempla docuerunt eos, qui nunquam passi sunt variolas, tuto posse versari atque etiam dormire cum infectis per duos tresve primos pustularum dies. Tamdiu enim ab his aegrotis nihil videtur periculi esse. Mulier quaedam puerum lactabat biduum postquam variolae in cute ortae erant; deinde vero puer amotus est, et evasit incolumis: at ille certe infici poterat, quoniam sesquianno exacto in eum morbum incidit.

Parentibus aliquibus visum est, siquidem unus e liberis in variolas incidisset, non amovere reliquos, sed sinere ut omnes una manerent in eadem domo, aut etiam in eodem cubiculo. At sexto plerumque die postquam morbus ad ἀκμὴν pervenerit, sani pueri coeperunt aegrotare; unde verisimile fit, hoc potissimum tempore variolas fieri contagiosas, atque idem spatium intercedere ante initium aegrotationis, ac fieri novimus in plerisque inoculatis. Veruntamen aegrotandi principium longe magis incertum est in his quam in illis, quippe non omnes, qui in eodem conclavi sunt, aeque objiciuntur halitibus variolosis, aut contrectationi vestium aut linteorum. Memini binos pueros, qui cum altero variolis aegrotante conclusi fuerant, neque tamen hoc morbo, nisi post mensem, correpti sunt. Quotidianum vest

ut ii, qui, ut videtur, eodem tempore contagioni objecti fuerint, multum diverso tempore incipiant aegrotare.

Dolorem lumborum acutum semper fere sequuntur periculosae variolae: et quo pejor fuerit dolor, eo morbus quoque periculosior est. Multo tutior est dolor inter scapulas: tutissimum vero, ubi nullus per totum dorsum dolor sentitur.

Vomitus vehementior ab ipsa morbi accessione usque ad exitum pustularum haudquaquam praenuntiat mites variolas: quodsi pustulis omnibus enatis vomitus perseveret, eventus morbi anceps erit, quamquam variolae non fuerint confluentes; quod in plus uno aegroto expertus sum.

Nervorum distensiones, dum pustulae parant exire, non raro antecedunt mitissimas variolas in pueris, et interdum, sed rarius, in adultis; ideoque non nisi inexpertos terrent.

Variolae vim aliquam inferunt canalibus sanguiferis, e quibus menstrua effunduntur; et cum morbus fuerit admodum periculosus, profluvium uterinum immedicum tempore alieno factum est biduum ante exitum pustularum, et perseveravit diutius. In nonnullis cursus sanguinis e naturalibus fuit ipso primo pustularum die. Verum haec sunt rariora. Maxime usitatum est in plerisque omnibus feminis, ut sanguis ex utero tum ferri incipiat, cum pustulae omnes exierint, et ut fluat modo unum, modo quinque dies. Hoc profluvium, quamquam naturali copiosius, non videtur maturitati pustularum obfuisse, neque vires aegrotis subduxisse; ideoque nihil moliri oportet ad sanguinem supprimendum, etiamsi nobis suppeterent remedia, quae certo et tuto id efficere valerent.

Urina cruenta, quae jure numeratur in pessimis variolarum signis, accessit die quinto ab initio aegrotationis: pustulae interea vix eminuerunt super reliquam cutem, nisi leviter et in paucissimis locis; in plerisque aliis corporis partibus cutem tantummodo notaverunt maculis purpureis aut vibicibus. Venter in his aegrotis reddidit cruenta; et ipsae lacrymae interdum fuerunt sanguine tinctae. Quodsi cutis alicubi forte detrita sit, sanguis e vulnusculo multos dies exstillavit, et aegre cohiberi potuit. Hujusmodi aegri deplorati omnes, quotquot vidi, tertio vel quarto pu-

stularum die decesserunt. Verum ubi omnia alia infausta signa abfuerunt, urina interdum fusca vel nigra impune reddita est, etiam in illis, qui ab arena aut calculo liberi fuerunt. In variolis, quae inter bonas malasque mediae erant, urina quinto pustularum die nigra fuit, nec ad colorem naturalem, nisi post quatuor dies, rediit. In alio urina atra erat secundo die ab accessione morbi, et quod ex ea desidebat, pulverem atrum referebat. Ambo hi aegri ex morbo recreati sunt, sine quovis sinistro aut insolito casu interveniente. Pustulae interdum vix diversae fuerunt ab iis, quae in mediocribus variolis conspici solent; attamen earum interstitia notata fuerunt maculis rotundis purpureis, et tertio die ab exitu pustularum aegri extincti sunt.

Supra memoratum est virus variolosum propriam habere vim menstrua movendi; atque hinc fieri potest, quod gravidae variolis correptae septimo vel octavo die ab initio pustularum plerumque abortum faciant, et intra biduum triduumve moriantur. Fetus sic elisos saepe contemplatus sum attentissime: cutis eorum fuit multum mutata; hic obscure rubra, illic purpurea; et in quibusdam locis fuit paene naturalis: sed nunquam potui deprehendere vel minima vestigia pustularum variolosarum. Quasdam etiam gravidas curavi, quae variolas expertae sunt, et non fecerunt abortum, sed justo tempore pepererunt: at neque in his infantibus ullas pustularum cicatrices vidi; quin a testibus fide dignis accepi eorum nonnullos variolis postea fuisse tentatos. Inciso adolescentulae cadavere, quae variolis confluentibus perierat, viscera et partes corporis interiores attentis oculis perlustravi; nusquam vero reperienda erant vel minima variolarum indicia, licet corpus extrinsecus ubique illis contectum esset. At profecto fetus in utero matris vix differt ab aliis partibus interioribus; et siquidem hae nunquam fiant sedes variolarum, haud verisimile est eas in fetu deprehendi posse. Alii vero de hac re aliter sentiunt.

Difficultas spirandi accedens circiter quintum pustularum diem, haud multum spei locum relinquit; hi enim aegri plerumque morbo succumbunt. Haec interdum adeo gravis est, ut aegri nequeant jacere, et

vix pauca verba loqui possint, antequam spiritus illis deficit.

Tumor faciei repente desidens, sic ut oculi aperiri queant; salivae cursus repressus; frequens urinae cupiditas, licet parum excernitur; corpus fere omnis mali odoris expers; et crebri horrores, sunt quidem indicia non mediocris periculi, quamvis non semper mortifera. Vesiculae aqua flava sive sero plenae, quales ab emplastro cantharidis fieri consueverunt, interdum inter pustulas oriuntur, et ostendunt morbum a regula tutarum variolarum aliquantum aberrantem, et forsitan periculo vicinum; hi tamen aegri saepe evadunt.

Inclinato jam morbo, cum pleraeque pustulae arefactae excidissent, bis vidi subnasci in volis manuum et in plantis pedum pustulas paucas aqua plenas, vacuas ab inflammatione aut rubore, quae ad modum variolarum consuetum maturuerunt. In puero etiam quodam pustulae erant majusculae paucaeque per quatuor dies, dein numerosae et parvae prodierunt, et puer aegre a morbo emersit. In alio puero rarae pustulae principio ortae sunt; at mansit jactatio, et aeger male habuit; deinde primis exsiccatis aliae exierunt, et maturuerunt; post has etiam una atque altera eruperunt. Puer hic obiit, quamquam omnes pustulae, si simul corpus occupavissent, adeo paucae erant, ut neminem alium variolis occisum meminerim, qui non pluribus laborasset. Haec sunt sola exempla, quae mihi observata sunt secundae messis, ut dicitur, variolarum.

Tres homines variolis aegrotantes vidi, qui morbo jam adeo inclinato, ut propositum esset intra biduum carnem cibo adjicere et dare medicamentum purgans, repente facti sunt tristes, et suspiciosi, et vix biduo exacto, insani prorsus et furibundi morte occubuerunt.

Salivae profluvium copiosissimum, quod in variolis confluentibus solet contingere, et maxime prodesti, in nonnullis finito morbo impune perseveravit plures dies.

Lac mulieris, quae infantem lactabat, minui coepit prius paulo quam morbus ad summum pervenisset, et deinde prorsus defecit; interjectis vero paucis diebus, iterum ubertim fluxit.

In morbo quocunque spes salutis jure videtur au-

geri, si aeger ab omnibus aliis morbis liber sit, et firmi corporis habitus sit: tunc enim vires maxime vigebunt, et nulla re impedientur quo minus totae incumbant in hunc unum affectum debellandum. Verumtamen variolae aliis etiam gravibus affectibus supervenientes, non ideo visae sunt pejores, neque vi nocendi majore praeditae esse; neque aeger cum iis minus fortiter, aut minus feliciter conflictatus est. Variolae saepe accesserunt lui venereae, et nihilo minus mites fuerunt; nec profecto, ubi pestiferae fuerint, aeger visus est aut gravius solito affligi, aut periculosius aegrotare. Vidi quosdam variolis occupatos, cum jamjam tabe strumosa essent perituri, qui tamen mitem experti sunt morbum, et eum feliciter depulerunt; neque idcirco, quantum potui judicare, veteri suo morbo citius succubuerunt.

In urbem quandam, quo tempore febres intermittentes frequentissimae erant, accidit variolas invectas esse, multosque corripere, qui febre intermittente laborabant. In his omnibus febris sponte sua conquievit, protinus ac variolae incidissent; at his finitis denuo reversa est. Alter horum morborum in alterum nullam aliam vim exercere visus est.

Paucissima certa morborum remedia hactenus humano generi tributa sunt. Inter plurimos alios, ad quos proprium remedium desideratur, variolae quoque adhuc destituuntur medicamento, quod privatim valeat adversus hanc pestem: quod igitur, si quid tale sit, posterorum vel fortunae vel ingenio acceptum referendum erit. Quidam multum sibi polliciti sunt a cortice peruviano, antimonio, aut argento vivo. Verum usus docuit has spes fuisse fallaces et vanas. Quamobrem ratio victus et curationis in variolis haud diversa erit ab illa, quae omnium febrium communis est. Mala quaedam et incommoda, quae subinde accedunt, iisdem auxiliis levanda sunt, viresque perinde nutriendae, ac in aliis febribus ardentibus. Illud autem admonere oportet, alvum adstrictam non esse minus inutilem in variolosa quam in alia quavis febre; quamquam contraria sententia olim vicerit, et vix adhuc satis explosa sit.

CAP. XCVI.

De variolis pusillis; nos vocamus the Chicken-Pox.

Variolae pusillae in quibusdam oriuntur sine febre, aut ullo signo antecedente; in aliis fit levis horror, lassitudo, vigilia, dolores vagi, fastidium cibi, et quaedam febricula; rarius dolor dorsi, lumborumve, aut vomitus. Pustulae primae fere conspiciuntur in dorso.

In eodem aegro variae sunt magnitudinis: pleraeque habent eandem ac variolae verae, quibus initio prorsus similes sunt; nonnullae his minores sunt. Nunquam eas valde numerosas vidi, nedum confluentes. Vix unquam numeravi ultra duodecim in facie, aut ultra ducentas in corpore universo.

Principio rubrae sunt; postridie in plerarumque apicibus exigua vesicula est, ad milii seminis magnitudinem, plena humore modo aquae simili, modo flavo, qui continetur inter cuticulam et cutem veram. In quibusdam pustulis plus humoris subest, qui interdum flavescit, et pus refert, adeo ut secundo, vel certe tertio die ab exitu pustularum hae variolae videantur ad maturitatem pervenisse; et quae humore flavo maxime turgent, prorsus tales sunt, quales verae variolae die quinto vel sexto. Saepe fit, ut eodem die, quo nata est haec vesicula, vel postridie, tenuis ejus cuticula rumpatur, partim vestium attritu, partim scabendo (nam pruritus fere est), et crusta levis succedat: reliqua autem pars pustulae subsidit, et nunquam, sicut in veris variolis, in pus mutatur. Proinde quinto pustularum die crusta tenuis plerasque ex his pustulis occupat. Paucae quaedam non ruptae humorem suum spissescere et arescere sinunt. Cum vero hic humor non, quemadmodum in veris variolis, e cute ipsa supparata oriatur, sed, ut credibile est, e vasis cutis serosis inter cuticulam cutemque effundatur; itaque non mirum est, si vel secundo die appareat, vel rupta cuticula tam cito in crustam desinat. Tum vero cicatrices nullae relinqui possunt, cum cutis ipsa non afficitur, nisi forte in una aut altera pustula, in quibus humor acrior factus ulcusculum excitaverit.

Per totum morbi spatium interdum vix ullus la-

commoda aegri patiuntur, si excipias languorem quendam virium et animorum, et cibi cupiditatem minorem, somnumque minus altum; quae omnia magna ex parte debentur commorationi in cubiculo.

Hic morbus mihi videtur prorsus alius a variolis veris. Qui variolas passi sunt, huic tamen opportuni sunt: qui autem semel experti sunt hunc morbum, ab ejus contagione in posterum securi sunt: quanquam ab inexpertis facillime contrahitur. Filum linteum, humore variolarum pusillarum concocte madidum, insertum fuit vulnusculo facto in brachio cujusdam, qui olim hoc morbo laboraverat; et neque vulnusculum propterea tardius sanatum est, neque ullae prorsus venenati vulneris notae secutae sunt.

Mater duorum puerorum, qui variolis pusillis implicati erant, octavo vel nono die a maturitate pustularum, coepit eodem morbo aegrotare. Spatiumne igitur idem semper intercedit inter contagionem et morbi initium?

Curatur hic morbus quiete animi et corporis, et abstinentia a carne vinoque.

Verae variolae, cum paucae sunt et distinctae, quales semper mihi visae sunt variolae pusillae, ab his discerni possunt tribus potissimum conditionibus. Nam primo, verae nunquam ante quartum diem exeunt: deinde, in earum apicibus nullus humor est secundo tertiove die: nec denique crustae sunt quinto.

CAP. XCVII.

De ventriculi morbis; et primo de ardore et acore.

Nulla corporis pars saepius laborat, quam ventriculus. Unus ex ejus morbis, isque non minimus, est acor ad os assurgens: cui fere accedunt nausea, et vomitus, dolor, seu potius angor, sensus gravitatis, cupiditas cibi modo naturali major, modo nulla, inflatio, capitis dolor, pituita; denique qui hoc vitio tenentur, saepe expergiscuntur cum terrore.

Si chemicos audiamus, nihil videtur facilius, quam acidum corrigere et extinguere, cum promtus ad id aditus est, ita ut ei, quodcunque libitum fuerit, liceat

adjicere. Verum stomachus vivus et vas inanimatum adeo inter se distant, ut quod chemici putant esse facillimum, medici interdum deprehendant fieri prorsus non posse. Unde evenit, ut quidam per annos viginti vexati fuerint acore ventriculi nullis remediis cedente. Aqua calcis, magnesia, pulvis e testis piscium, et sales alkalini, saepe votis aegrorum parum responderunt.

Lac, olus, pisces, pinguia omnia, et ventriculus cibo onustus, maxime si homo statim a plena mensa exercitetur, acido ventriculo parum conveniunt, et acorem augent. Potus acidi, praeter opinionem, non semper nocent his aegris; nonnunquam etiam auxilio sunt. Vomitus et aqua Bathonica aliis profuerunt, aliis fuerunt supervacua. Pulvis e testis piscium, et rhabarbarus, plerumque juvant. Alvus adstricta semper est aliena. Femina, cujus ventriculus indomabili acore afficiebatur, omnigenis medicamentis tentatis, tandem his duobus contenta fuit; nempe singulis auroris sumsit testarum ostrearum in pulverem tenuissimum contritarum unciam, singulis autem vesperis vomitum movit per aquam tepidam, cujus congium partitis haustibus bibebat. His, quibus in multos annos usa est, acor aliquantum levatus est, et valetudo ceteroquin non fuit incommoda. Rhei etiam pauca grana adjecta sunt, quoties alvus coepit esse tardior.

Sensus ardoris injucundus cum acore ventriculi fieri consuevit; et interdum molestus est, quamquam nullus fuerit acor. Remedia hujus mali sunt fere eadem ac superioris. Saepe quoque haud minus sanatu difficile est. Simul interdum nascuntur singultus, ructus, et insolitus salivae cursus. Ardor ventriculi saepe fatigat gravidas, et non raro accedit arthritidi; neque icterus semper ab eo liber est. Haec molestia nonnullis per totam fere aetatem adhaesit. Idem homo invicem modo cutis vitia, modo ardorem stomachi expertus est. Femina quaedam, dum ventrem ferret, gravissime conflictabatur cum hoc malo, adversus quod cum remedia consueta nihil profecissent, acidum vitriolicum tentatum est, et brevi illud sanavit.

§. 2. De dolore ventriculi.

Inflammationes, scirrhi, et carcinomata jecinoris, lienis, et pancreatis; dolores denique omnes siti inter pectus et umbilicum, pariter ad ventriculum referuntur; qui porro, praeter ista mala, quae sui propria sunt, saepe cum aliis multis corporis partibus simul dolet. Arthritis, et fortasse rheumatismus, vagi dolores artuum, et interdum qui uni loco diutius insederunt, ulcera etiam, et cutis vitia, saepe vel prima sua sede relicta in ventriculum incubuerunt, vel mala sua cum ventriculo communicarunt. Vertigo et capitis dolores saepe quidem fuerunt causae, saepius forsitan effectus ventriculi minus recte valentis. Uteri affectus fere omnes ventriculo nocent; qui proinde raro vacat vel dolore vel fastidio, ubi menstrua non bene respondent. Affectus hysterici et hypochondriaci, graviores animi perturbationes, et lumbrici, etiam illi qui solum in crassioribus intestinis reperiuntur, ventriculum in societatem malorum semper assumunt.

Quodsi nulla ex causis praedictis in culpa fuerit, et dolor non oriatur a veneno, neque a cibo minus salutari; si interdum sit fere impatibilis, at multas habeat nec breves intermissiones, si denique valetudo ceteroquin bona sit; illic justissima erit suspicio calculi in bilis canalibus haerentis. Saepe equidem vidi dolores ventriculi, postquam multos annos, interdum non pauciores viginti, molesti fuerant, tandem vel in icterum desiisse, vel calculo fellis dejecto finitos esse; ut dubitatio omnis de eorum causa esset sublata. In aliis autem, qui inciderant in icterum, quem praecesserat dolor saevissimus et nunquam obliviscendus, sensus ejusdem doloris inordinate rediit modo cum ictero, modo sine eo, per duodecim annos aut amplius. Nonnulli per maximam aetatis partem identidem experti sunt obscurum dolorem in ventriculo, vel in ejus vicinia; post quorum mortem in vesica fellea calculus repertus est. Hic forsitan dum leviter in vesica moveretur, vel minus commode situs esset, dolorem illum obscurum inferre potuisset; et tamen cum in canalem biliferum nunquam impulsus fuisset, ideo icterum et atrocissimum dolorem nunquam excitasset.

Multi, uti vidimus, dolores ad ventriculum falso referuntur; et causae eorum qui revera ad illum pertinent, sunt multum diversae. Hinc igitur petendum est, cur facies horum malorum tam varia sit, et cur eadem medendi ratio tam diversos exitus habeat.

Aquae Bathonicae, vinum, calefacientia, victus e frugibus et fructibus quos terra gignit, purgantia, vomitus, graviditas, arthritis, acida, anthelminthica, et emplastra quae erodunt super stomachum imposita, modo profecerunt, modo nocuerunt, et interdum fuerunt supervacua. Postquam attente inquisitum fuerit in naturam doloris; si ille revera a ventriculo oriatur, et neque inflammatio sit, nec scirrhus, saepe utile est primo vomere, deinde sumere vel aquam Bathonicam, vel pulverem amarum et aromaticum, aut, si aegro jucundius fuerit, aqua in quam eaedem herbae missae sunt; cui, ubi opus est, adjici potest vel rheum, vel aloë, sic ut alvus tenera servetur. Tincturae quoque cujuslibet aromaticae guttae sexaginta, vel bis totidem, ex aquae cochleario sumtae statim post prandium, stomacho laboranti saepissime fuerunt auxilio.

Bene quidem factum est, quod hujusmodi remediorum copia non exigua reperiatur in omnibus medicamentorum libris: quippe ex tanto numero haud difficile erit eligere quae plerisque stomachis conveniant; et vel satis jucunda sint, vel tolerabilia. Remedia stomachi maxime utilia sunt in arte medica; et eorum compositiones plures ad manum semper esse debent; non solum quia hujus visceris morbi quotidie nascuntur; verum etiam quia in morbis obscuris, aut in quibus nullus locus est exinanientibus, et nulla certa remedia inventa sunt, nihil superest agendum, nisi ut corporis vires nutriamus, maxime per eas res, quae facultatem habent ventriculum reficiendi.

§. 3. *De morbis lienis.*

Vir quinquagesimum annum agens coepit amittere corpus et vires, non sine quadam febricula. Modo leviter, modo vehementer inhorruerat per totum morbum; horrores vero nullum certum habuerant circuitum. Cibi cupiditas perierat. Nullus erat vomitus. Alvus erat naturalis, nisi per duos postremos vitae

menses. Urina neque colore, nec copia peccabat. Pulsus rarissime erat justo concitatior. Venter non erat intentus. Secundo aegrotationis mense ventriculus dolore torquebatur. Dolores lumborum, coxarum et dorsi subito solebant invadere, vix semihoram manentes. Dextra manus in dies paucos tumebat, et dolebat. Sura laeva in biduum adeo dolebat, ut tangi non sustineret; tamen nullus erat calor, nec ruber, nec tumor. Dextra pars ventris dolebat. Per duos postremos vitae menses alvus erat sine modo fusa, et nullis remediis comprimenda. Mors finem horum malorum fecit sexto morbi mense. Lien late exulceratus erat, et reliqua ejus pars in saniem nigram versa: item praeter naturam adhaerebat peritonaeo. Nulla alia corporis pars videbatur esse vitiosa.

Vir duos et quadraginta annos natus, multos menses occupatus fuerat fastidio, inflatione, dejectionibus modo albis, modo cruentis, urina fusca, tenesmo, nausea, vomendi cupiditate, maxime si stomachus esset jejunus, jactatione summa, vigilia, cursu sanguinis e naribus, siti, et delirio, quamvis febris non magna esset. Tandem vomitus sanguinis accessit, qui vix quinque horas substiterat, priusquam rediit, et finem vitae attulit. Lien erat insolitae magnitudinis, sine duritie. Interior ejus pars tota tabefacta erat in saniem cruentam. Glandulae mesenterii eadem sanie distentae erant. Hepar erat sanum. Stomachus, qua lienem contingit, inflammatus erat; et signa inflammationis in reliquis quoque visceribus reperti sunt.

Femina quaedam sex menses aegrotaverat. Cibi cupiditas minuta erat, et sinistra pars ventris intumuerat. His accedebant nausea, ventriculi dolor, fastidium, alvus fusa cum dolore, quae non potuit cohiberi, et ingens jactatio; quae mala alios sex menses perseverarunt. Lien pendebat duas et quinquaginta uncias; non tamen erat exulceratus, nec scirrhosus.

§. 4. De morbis pancreatis.

Mulier diu questa fuerat dolorem ventriculi, qui per ultimum vitae annum majorem in modum saeviebat. Cibi cupiditas nulla erat; et quicquid sum-

tum fuerat, statim vomebatur. Vigilia fere perpetua erat. Pancreas erat scirrhosum.

Pancreas etiam repertum est scirrhosum in femina, quae septem annos conflictata fuerat cum doloribus ventriculi, et intestinorum, et coxarum. Femur quoque, et crus torpuerant, cum sensu frigoris. Cupiditas cibi perierat, et acida saepe vomebantur [1].

CAP. XCVIII.

De vertigine.

Vertigo utrumque sexum infestat. Senectuti quidem est maxime familiaris; junioribus tamen, praecipue feminis, non est incognita.

Hic morbus mihi visus est istiusmodi, quem crediderim saepe oriri ex offensa quadam ventriculi, saepius ex affectu capitis, saepissime autem a totius corporis infirma atque adversa valetudine. Quantum intellexi ex aetate et constitutione aegrorum, atque ex iis, quae vel nocuerunt, vel opitulata sunt; perpaucae sunt vertigines, quae a sanguine nimio et habitu pleno nascuntur. Quamobrem in iis, quibus sanguis abundare videatur, caute agendum est, et principio quae leniter tantummodo exinaniunt sunt tentanda, ex quibus documentum capiendum est, quam valida remedia adhibere liceat, et quoties repetenda sint.

Fastidium, cruditas, inflationes, dolor, et sensus gravitatis in ventriculo, nausea, vomitus, alvus adstricta, et lumbrici, modo antecedunt vertiginem, modo cum illa simul facta sunt. Ubi haec sunt vel sola, vel praecipua mala praeter vertiginem, credibile erit

[1] Vir quartum et vigesimum annum agens per quinque menses afflictus erat doloribus ventris; quibus conquiescentibus intumuit ventriculus, cruditas fuit, urina parca, et debilitas sensim aucta, denique alvus fusa, quae cohiberi non potuit. Mense tertio a tumore ventriculi extinctus est. Pancreas in magnitudinem enormem auctum erat et exulceratum. [Notula Heberdeni filii].

morbum ventriculi primum fuisse, et vertiginem secundum locum obtinere.

Dolores capitis atroces, surditas, aures intus sonantes, rerum omnium ante oculos duplicatio, coecitates breves, caligines, maculae nigrae, vel flammulae versantes ob oculos, cursus sanguinis e naribus, mala hypochondriaca et hysterica, minae vel accessiones paralyseos, spasmi et nervorum distensiones, sunt manifesta capitis laborantis signa; et ubi nonnulla ex his, ut saepe fit, cum vertigine nascuntur, vix dubium erit, quin morbus in cerebro situs sit.

Vertigo modo fuit cum languore, tremoribus, animae defectionibus, et palpitationibus; modo supervenit arthritidi vetustae, longis febribus intermittentibus, asthmati inveterato, profusionibus sanguinis aut alvi, et aliis morbis diuturnis; saepe etiam reperta est in magno illo malorum concursu, quae accedunt valetudini perturbatae, seu fiat a menstruis vel haemorrhoidibus suppressis, sive ab humore ulcerum et vitiorum cutis intus verso, seu denique intemperantia, morbis, aut senectute penitus conquassata sit. Quinetiam vertigo interdum sola incidit sine quibusvis aliis adversae valetudinis signis.

Siquidem certa res sit vertiginem ex alio morbo pendere, ad hunc tota curatio procul dubio erit dirigenda. Non tamen est dissimulandum, signa in vertigine adversa interdum adeo esse perplexa, ut difficile sit judicare, ad quam potissimum causam vertigo sit referenda, vel rationem reddere cur eadem omnibus in similibus casis non opitulentur.

Ex iis, quae de hoc affectu annotavi, video vomitum, et alvum fusam, sponte sua supervenientes, semper fuisse auxilio; ea autem quae sequuntur semper nocuisse: nimirum, pulverem ex nicotiana naribus haustum, occupationes nimias, defatigationem, turbam hominum, somnum, corporis inclinationem, stare diutius, ambulare, corporis situm in lecto mutare, calorem coeli, jejunia longa, et pleraque remedia eximientia.

In numero praesidiorum contra hanc aegritudinem habentur cucurbitulae admotae cum ferro, haemorrhoides, sanguinis detractio per hirudines vel incisa vena, emplastra cantharidis, vitia cutis, vomitus, ulcuscula, lavatio frigida, et arthritis. Sed molestum

est, quod plerumque ex his saepe spem aegrorum destituerunt, maxime arthritis, et emplastra cantharidis. Venae incisio, et quae vehementius purgant, saepius fuerunt detrimento quam auxilio; vel saltem parum profecerunt. Vix ausim affirmare, aquas Bathonicas non esse alienas: at certe nunquam mihi visae sunt profuisse. Cucurbitulae saepe nihil profecerunt ad praesentem vertiginem; sed multis insigni fuerunt praesidio, vel prohibendo vel mitigando accessiones, ubi alternis mensibus admotae sunt sic ut sanguinis sex unciae detraherentur.

Periculum intentatum a vertigine, et difficultas ei medendi, aestimanda sunt e genere et numero malorum accidentium. Siquidem haec pauca fuerint, et a stomacho solo orta, multo facilius erit morbo succurrere, quam si signa sint capitis graviter affecti, cujus curatio est taedii plena et incerta. In affectibus hypochondriacis vertigo nullum periculum habet, quamquam promte submoveri nequeat. Quodsi unum tantummodo ex plurimis malis sit, quae corpus morbis et annis fractum ad sepulchrum deducunt, nihil spei reliquum erit aut in medicina, aut in natura.

Ubi vertigo per se sola fit, saepe videtur oriri ex causis omnino levibus, quae valetudinem corporis haud multum perturbant, nedum in periculum adducunt. Cognovi juvenes tam vehementer laborantes, ut fere conciderent, in quibus morbus sua sponte recessit, nec impedivit quo minus ad summam senectutem pervenirent; aliis quoque identidem molestus fuit triginta annos, qui ceteris in rebus satis commoda valetudine fruebantur.

CAP. XCIX.

De vomitu.

Facultas vomendi admodum diversa est in diversis hominibus. In quibusdam vomitus nullo modo excitari potest; in aliis movetur aegre, et non sine magno dolore; dum alii promtissimi sunt ad vomendum

[1] Vide quae de nausea supra praecepta sunt.

levissima de causa, et sine ulla contentione. Virum vidi, in quo ruminatio quaedam contigit similis illius, quae fit in pecoribus; et cibus aliquando nimis diu in stomacho maneret priusquam in fauces ascenderet, solebat acescere et nauseam facere; et tandem vomebatur.

Vomitus videtur adeo naturae adversari, ut, nisi crebro usu edocti essemus, vix credibile esset eum impune moveri posse bis terve quotidie per multos annos, quod factum novi. Femina quaedam omnia, quae sumserat, vomere videbatur per triginta annos. Quibusdam interdum, quamquam omnis cibus vomi apparuerit, homo tamen commode valuit, aut etiam impletus est. Gravidis non paucis visum est illud, quod vomunt, superare modum cibi potusque, idque diutius, incolumi matris et fetus salute.

Ebriosi, et praegnantes, matutino tempore praecipue nausea tentantur. Idem malum sobrios interdum exercet: sed in his frequentius est, ut vel statim, vel paucis horis a cibo nausea fiat, quae deinde brevi desinit in vomitum.

Ventriculus saepe laborat malis non suis, simul dolens cum aliis corporis partibus. Multis etiam vitiis sibi propriis opportunus est, quae prohibent cibum vel capere, vel retinere. Nonnulla ex his in cadaveribus deprehenduntur, qualia sunt scirrhi, qui cardiam aut pylorum impediunt. Alii hujus visceris morbi pendent e nondum cognitis ejus facultatibus, et nullum sui vestigium sensibus obvium post mortem relinquunt; quemadmodum nec relinqueretur ab ista nausea, quam movet nuntius tristis, vel res foeda, oculis aut memoriae subjecta. Memini virum, qui annos paucos vomendo reddidit fere quicquid devorarat, et praeterea multum cruoris; cujus tamen ventriculus et intestina post mortem nullum morbi indicium ferebant, quod duo expertissimi ac sagacissimi anatomici possent detegere.

Ventriculus modo reddit cibum crudum, modo humorem salsum, vel acidum; interdum pituitam; et post magnos conatus bilis quoque in stomachum propulsa vomitur. Nescio quid pingue, et in igne flammam concipiens, nonnunquam post cibum pergit ad breve tempus e ventriculo in os ascendere. Postremo sanguis, vel cruentum aliquid, a quibusdam vomitum

est quotidie per multos dies; ex quo magna debilitas secuta est. Idem malum in aliis semel et iterum quotannis reversum est; et quamquam dolorem ventriculi aliquantum levarit, semper tamen signum fuit vitii non levis, nec periculo vacantis. Copia cruoris, qualis videtur, plus terreret, siquidem totus purus putus sanguis esset, qui fortasse exigua tantummodo pars est ejus quod vomitur. Hujus generis vomitus, quem alii quotannis subinde experti sunt diutius, alios intra triduum sustulit. Stercora in his aegris vel cruenta, vel atra sunt.

Non aliam hujus casus curationem novi, quam quae a me alio libro exposita est [1]. Quantum autem praesidii sit in quiete, et animi tranquillitate, et refrigerantibus, praeclare intellexi ex quadam aegrota, in qua vel minimum vini sumtum, vel aqua tepida manibus injecta, vel accessio prope ad ignem, vel lectus tepefactus, vel emplastrum cantharidis, vel solutio alvi, et qualiscunque mentis perturbatio, profusionem sanguinis semper induxerunt.

Vomitui longo, qui sine sanguine fit, purgantia, equitatio, et pinguia omnia sunt aliena: quod stomachus ultro reddit, nihil profecit; et vomitus medicamento excitatus modo fuit supervacuus, modo forsitan perniciosus. Unus ex his aegrotis mihi retulit se ea fuisse constantia, ut vomere perseverasset circiter quadragies, sine minimo auxilio. Neque tamen idcirco in his casibus semper abstinendum esse censeo ab hoc remedio; quin potius ubique ab eo incipere oportebit. Ad nauseam recentem remedium praesentissimum est vomere cogere; et vix definire possumus, quo demum tempore morbus incipiat esse inveteratior, quam ut eo modo levari possit. Tum vero noxam, si qua sit, in vomitu movendo, crediderim semper esse perquam levem. Aquae Bathonicae vi propria valent adversus vomitum matutinum ebriosorum: ad aliorum nauseam saepe non profuerunt. Medicamentum, quod habet linimenti saponis partes tres, tincturae opii partem unam, ventri illitum, multis fuit utilissimum. Emplastrum quoque cantharidis impositum proxime ventriculum his aegris subvenit. Aliis auxilio fuerunt acida, aliis sales alkalini, et pul-

[1] *Medical Transactions*, vol. II. qu. 4.

vis, e testis piscium, vel carne. Abstinentia uni pene quidem fuit utilis; alium juvit aqua glacie refrigerata. Dolendum autem est stomachum et vicina viscera vitiis insanabilibus saepe tentari, ex quibus vomitus nascitur ejusmodi, ut nullus medicinae locus sit.

CAP. C.

De voce.

Vox sine quovis dolore, aut valetudine adversa, interdum fit adeo submissa, ut audiri vix possit. Ubi haec susurratio levis est, in ridendo sonus naturalis eliditur: in affectu graviore sonus tam risus, quam vocis supprimitur. Qui hoc semel experti sunt eidem recidivo sunt subjectiores. In quibusdam vox subito perit sine quovis signo praecedente; nec minus subito restituitur sine quavis causa manifesta. Decem vidi sic laborantes, in quo numero novem fuerunt feminae, et pleraeque hystericae, vel infirmiores.

Impotentia clare loquendi duravit modo plures menses, modo aliquot annos; tum in quibusdam semper fuit eadem; in aliis mane tantum, in aliis vespere molesta fuit; denique singulis annis rediit, et paucos menses permansit.

Lavatio frigida, et exulcerationes, nonnullis visae sunt profuisse. Medicamenta irritantia, et purgantia, et, ut verbo dicam, omnia alia, meo judicio fuerunt supervacua.

Haec subita vocis mutatio in susurrum, de qua jam sermo est, prorsus diversa est a raucitate, quam spirandi difficultas et destillationes secum ferunt.

CAP. CI.

De urina[1].

Urinae cupiditas praeter consuetudinem a variis causis proficiscitur, quarum nonnullae supra expositae

[1] Consulantur capita *de calculo*, *graviditate*, *ischuria*, et *stranguria*.

sunt. Idem vitium interdum oritur e scirrho lienis, et e morbis hystericis, et paralyticis, et jure habetur in malis senectutis. Alios noctu tantum vexavit, somnos molestissime abrumpens; alios pejus habuit interdiu, et noctu fere conquievit.

Urinae difficultas non solum fit e causis ante recensitis; sed etiam e resolutione musculorum, qui illam expellere debent. In quodam urina sine cathetere reddi non potuit per biennium, quo tempore elapso, vires partium resolutarum restitutae sunt, et morbus finitus est.

Urina coloris lactei fuit in prostatae morbis, et in aliis quoque casibus, adjecto, ut videtur, pure.

Multi multa loquuntur de facultate corpori tributa resorbendi pus ex ulceribus dissitis, et transferendi in renes. Semel tantum mihi contigit videre aliquid hujusmodi in juvene, cujus tonsilla inflammata fuerat, et dein suppuraverat. Per triduum enim quoddam in urina subsidebat puri simile; rupto vero abscessu, et pure effuso, purulentum hoc in urina non amplius conspiciebatur.

In nonnullis, qui valetudinis erant conquassatae ac perditae, urina nunquam reddi potuit, quin statim incideret haud mediocris languor cum nausea.

Ulcus uteri saepe viam sibi facit in vesicam, et in intestinum, adeo ut spiritus, et stercus, simul cum urina exeant. Idem viris contigit ab ulcere prostatae. Semel mihi suspicio fuit alvum pertinaciter clausam id effecisse, ut paries inter intestinum et vesicam ageret rimam, et similem calamitatem inferret.

Calculus vesicae, morbus prostatae, profluvium album, abortus crebri, et potus acer irritansque, insignem urinae ardorem excitaverunt, ubi nullus fuit locus suspicando morbum venereum.

Natura, cavens ne urina laedat vesicam, totam ejus faciem interiorem muco illevit; qui irritamentis a quacunque causa profectis ita augetur, ut cum urina simul copiosissime exeat, et interdum matulae fundo adhaereat, instar amyli aqua diluti; longe autem alius est a pure, quod in urina subsidet, velut cremor lactis. Attamen nec mucus ille, neque humor purulentus semper indicat aliquid in viis urinae exulceratum; utrumque enim nasci potest ex irritamento vehemen-

tione, aut levi inflammatione, sine suppuratione; ut saepe fit in illis, qui crebris, malis venereis tentati fuerunt, quive arena, aut calculo infestantur. Renes et prostata plerumque sunt sedes ulcerum, quae tum conjiciuntur subesse, cum multum sit humoris purulenti male olentis, et lineis cruentis notati. Quodsi prostata multum, chirurgo exploranti, morbi indicium praebeat, ren erit in culpa. Sententia tamen de hac re caute ferenda est, utpote dubia semper et obscura.

Urinae incontinentia periculo quidem vacat, verum admodum incommoda est et molesta. Pueritia et senectus illi maxime opportunae sunt. Pueris quibusdam infirmioribus adhaeret ab infantibus usque ad pubertatem. Puellae vero et saepius et diutius hac infirmitate tenentur, et nonnullae, quibus ceteroquin bona est valetudo. Feminis omnibus urina sine voluntate ferri videtur promtius, quam viris. Risus et tussis saepius illam invitis expellunt; et nonnullas vidi, quae, cetera sanae, nunquam per totam vitam potuerint urinam continere. Quamobrem in morbis feminarum ancipitibus hoc signum minus terrere debet, quam si viris pariter aegrotantibus contingeret. In causis hujus vitii numerantur omnes morbi, qui vias urinae occupant, sicut calculi extractio, seu fiat secando vesicam, sive dilatando urethram; item partus difficilis, prolapsus vaginae, morbi venerei, epilepsia, paralysis, et quicquid denique vel corpus universum, vel has tantummodo partes debilitat.

Decoctum corticis peruviani, et lavatio frigida, vires corpori addendo, aliquid conferre possunt ad hoc incommodum submovendum. Emplastrum cantharidis super lumbos impositum, partibus ipsis affectis auxilio erit. Ubi his nihil proficitur, aliquid forsitan in natura spei sit, vix quicquam in medicina. Interea ad levandos eos, qui sic laborant, fibula quaedam excogitata fuit, quae urethram sic comprimeret, ut urinam destillare prohiberet. Nemini eorum, quos vidi, arrisit hoc inventum; quin potius, post usum brevem, ipso morbo molestius visum est. Quamobrem maluerunt interdiu penem vesicae immittere, in quam urina destillaret; quae quidem commodior est, sed minus munda, quam vas stanneum, quod itaque aliis magis placuit. Noctu vero multo commodissimum fuit matulam parvam secum habere in lecto, in quam penem

et scrotum immittant dormituri, quo lintea sua ab urina secura sint. Omnes, postquam huic paululum assuefacti sunt, se haud minima calamitatis parte liberatos existimarunt.

Urina nigra, vel manifeste cruenta, quantum intellexi, raro habuit initium, nisi a calculo haerente alicubi in viis urinae. Quapropter, ubi sanguis cum urina fertur, illico ad hanc causam respicio; et si consueta calculi indicia simul accesserint, nullus mihi dubitandi locus relinquitur.

Stranguria, utcunque excrucians, quae oritur a cantharidibus intus datis, seu extrinsecus impositis, non nisi diluto rubore urinam inficit, aut mucum ejus paucis lineis cruentis distinguit.

Glandula quae vocatur prostata, scirrhosa facta, et exulcerata, interdum cruentat urinam; verum sanguis ab ea exstillans admodum exiguus est, neque augetur equitando aut ambulando. Tum vero hanc urinae cruentae causam indicant prostatae magnitudo et durities, digito explorantis satis manifestae. Carcinomata quoque alia, ad vias urinae pertinentia, eam quidem pauco sanguine tingere possunt; verum horum natura non obscure apparebit ex hoc ipso pauco sanguine; ex constantia doloris; ex eo, quod nec dolor, nec cruor, motu augetur; ex muco male olente, vel sanie, quae cum urina exit: postremo, quod desiderantur omnes notae, quae ex calculo fieri consueverunt.

Lumbis vehementius ictis, interdum sanguis e renibus fertur; et par est credere arteriam aut venam in renibus aut vesica rumpi posse non multo majore vi, quam saepe fit in naribus; quamquam nullum hujus rei exemplum vidi. Memini tamen bis evenisse, ut venae vel arteriae in urethra sponte sua dehiscentes, nullo morbo aut ictu antecedente, sanguinem profuderint, sine ulla cupiditate urinae assidue manantem. In altero ex his aegris sanguis saepe rediit per biennium; interea valetudo indies gravescebat, et fine secundi anni mors accessit. Concretus cruor saepe implebat urethram, et aegre expellebatur.

In pessimis variolis, omnes norunt sanguinem saepe ubertim fluere, cum ex aliis corporis partibus, tum etiam ex viis urinae.

In libris medicorum multae aliae causae urinae cruentae numerantur: quae verae sint, necne, vide-

rint alii. Inter aegros, quos ipse vidi, tales certe nunquam inciderunt.

Quies, et frigus, et alvus solutior, sunt praecipua hujus mali auxilia.

CAP. CII.

De morbis uteri.

Ubi vagina aut uterus prolabitur, non nisi pessario sanari potest. Huic vitio fere accedit incontinentia urinae.

Feminis quibusdam contigit repentinum, neque exiguum aquae ex utero profluvium; quod etiam in eadem saepius rediit. Hoc fit plerumque statim post menstruorum tempus, et cum illa prope sunt ad finem. Vires inde multum labefactantur.

Interdum in utero, aut vagina, nascitur caro pyriformis, cujus pars angustior cum utero cohaeret. Haec tandem adeo augetur, ut dum alvus cum aliqua contentione solvitur, pars ejus extra naturalia descendat. Vagina atque utero sic diductis, fit jugis destillatio cruoris, non cohibenda donec haec caro sublata fuerit. Vir artis obstetriciae peritissimus mihi fidem fecit se viginti feminas hoc vitio liberasse, filo comprehensa angusta ejus parte quam proxime uterum cui annectebatur. Hoc facto, post paucos dies caro excidit, et reliquiae ejus in utero putruerunt, et abscesserunt: neque aliud remedium postulatum est, praeter aquam e floribus chamaemeli saepius infusam. Hanc curationem, quam ajebat periculo vacare, ipse vidi fuisse efficacem.

Furor uterinus non semper initium ducit a vitio uteri, sed interdum nihil distat ab insania vulgari; in qua, cum mens haud amplius sit sui potens, istiusmodi cogitationes subeunt, quae modo libidinem, modo ambitionem, iramve, aut alios affectus accendunt: tum in omni insania lingua potest verba proferre, quorum mens non conscia est. Furorem certe, quem vocant, uterinum, non solum novi invasisse juniores, sed etiam vetulam moribundam, quae diu fuerat tenuis aut nullius valetudinis, et cujus mores

pudici et aetas grandis cupiditatum ardorem, ut fas est credere, jam olim restinxerant, et veneris voluptates oblivione deleverant. Praeterea homines insanos oestro venereo haud minus percitos videmus, quam metu, ultionis amore, et aliis animi perturbationibus.

Uterus, haud secus ac mammae feminarum, tumoribus scirrhosis interdum infestatur, in carcinomata desinentibus. Haec mala tam uterum, quam mammas, eodem fere aetatis tempore tentant; nimirum, post annum quadragesimum. Primum hujus pestis signum est profluvium uterinum revertens, postquam diutius substitisset: neque tamen hoc certum est indicium. Menstrua enim longo post tempore redeuntia, non semper ex utero scirrhoso, sed ex aliis quoque caussis proficiscuntur[1]. Principio nonnullae mulieres experiuntur cursum e naturalibus, vel muci lenti, vel humoris dilutioris, similis profluvio albo; qui manat modo annum, modo biennium, priusquam mala quaevis graviora incidant. Haec vero sunt febris hectica, cupiditas vana desidendi, dolores uteri, inguinum, lumborum, alterius vel utriusque coxae, et femorum; porro neque alvus solvitur, nec urina redditur, sine dolore; et venter saepe distenditur, cum sensu inanitatis. Quod ex utero fertur, fit postea luteum, viride, vel atrum, et mali odoris. Tandem dolores impatibiles oriuntur, qui non nisi opio leniri possunt; vix tamen augentur in vehiculo. Interdum, sed rarius, ulcus uteri viam sibi facit et in intestinum rectum, et in vesicam. Sed haec signa non omnia semper fiunt in eadem aegrota: verum ubi ex his pauca sunt, satis indicabunt morbi naturam, quamquam obstetrix uterum nondum exploraverit, et omnem dubitandi ansam sustulerit.

Folia cicutae arefacta et in pulverem contrita, vel succus ejus spissatus, cum aqua in qua cortex peruvianus decoctus est, tuto dari possunt: verum haec, et alia omnia medicamenta, quantum me usus docuit, parum aut nihil profecerunt, vel ad medendum carcinomati, vel ad impetum ejus cohibendum. Quandam autem curavi, quae visa est multum levari, dum sumeret cicutam, et simul aquam in qua ea decocta erat

[1] De his supra praeceptum est capite 62.

in vaginam infunderet: dolores enim fere conquiescebant, et uterus per annos aliquot adeo vacabat molestia, ut nec vitae muniis obeundis, nec solitis oblectamentis fruendis, mulier haec impar esset. Plerisque aliis opium unicum solatium fuit.

Haec fere sunt, quae usu magistro didici de natura morborum et remediorum. Fateor equidem ea esse rudia, inchoata, et manca: cujus rei culpa, ut maximam partem in me recidat, partim tamen in ipsius artis conditionem erit rejicienda. Nemo naturae studiosus nescit, in quantis tenebris etiam brutae hujus telluris scientia jaceat, et quam parum adhuc profecerimus in cognitione rerum inanimatarum. At vero in corporis humani scientia, et eadem omnia, et multa praeterea, quae sunt animantium propria, nos latent. Etenim corporis leges sunt multo plures, et longe aliae, quam quibus res inanimatae subjiciuntur; neque harum modus et conditiones ad actiones vitales explicandas sufficiunt, aut ad animantia recte transferri possunt. Quamobrem usum, tardum sane ducem, fere solum huc usque secuta est ars medendi[1]; et nulla illustria incrementa ex ratione vel cepit, vel captura est, donec humano generi a Deo immortali tributus fuerit vir, qui, quemadmodum Newtonus inanimata, sic animantia contemplando, principium illud vitae detegat, e quo omnes naturales actiones pendent et gubernantur.

Operae pretium fuisset comparationem instituere inter hos commentarios, et ea, quae in aliorum medicorum libris continentur; et sicubi discordia esset, de ea aliquod ferre judicium. Nec inutilis foret labor subjicere, quae ex cadaveribus didicimus de causis ac sedibus morborum. Verum spatium vitae, jam fere decursum, me ab hujusmodi incepto monet absistere.

Datum 15to Augusti 1782.

[1] *Εὐρυφῶν, ὁ ἰατρὸς, ἐρωτηθεὶς τὸν διδάσκαλον, παρ' ᾧ ἐπαιδεύθη; παρὰ τῷ χρόνῳ, ἔφη.* Stobaei Eclog. Phys. lib. I. Cap. IX. pag. 248. edit. Heeren.

COMMENTARIOLI

QUIDAM

HEBERDENI

ANGLICE CONSCRIPTI NUNC PRIMUM AB EDITORE LATINE REDDITI.

I.

Praefationis, qua G. Heberdenus *Acta Medica (Medical Transactions) anni* CIƆIƆCCLXVII *auspicaturus erat, adumbratio.*

Quantum in re medica veterum auctoritas solaque mentis ratiocinia valeant, omnibus satis jam compertum est. Itaque viam utramque deserendo ipsamque naturam accuratius contemplando plus profecerunt homines ultimo hoc saeculo, quam ab Aristotelis inde tempore ad hunc usque diem licuit.

Via ipsa atque ratione, qua istae naturae observationes nobiscum communicatae fuerunt, haud parum commoda illa aucta esse videntur. Variis enim eam virorum doctorum sodalitiis, quae per Europam nata sunt, ut ex omni literarum genere immensum quendam et communem scientiae penum conficerent, permulti communicaverunt viri res memoratu dignas casuque oblatas, quas alioquin silentio praetermisissent. Impediverunt simul doctae illae societates, quo minus ejusmodi auctores exiguae doctrinae suae fines, aut aliorum scripta compilando, aut addendo inepta propriae rationis commenta, transgrederentur, quod ab iis fieri videmus, qui librum conscripsisse ac in lucem edidisse summam gloriam arbitrantur. Sic excitarunt nonnullos, ut omnia, quae scirent, in medium proferrent, aliorum vero arrogantiam plura dicendi, quam comperta haberent, sapienter coërcuerunt.

Dolemus, non omnes medicorum societates ex hoc egisse consilio, quod profecto tum cujusvis doctrinae naturalis, tum inprimis artis medicae studium adjuvat. Atque jam tempus hanc ipsam inculcat viam medicis, qui scilicet quasi in circulum acti

jam satis tum in veterum libros commentati sunt, tum theorias, ut vocant, excogitaverunt a schola sua decantatas.

Illa quae antiquorum auctoritati habetur fides, suspicionem forsitan quibusdam movebit, progressus in arte medica factos non congruos esse iis, quibus reliquae disciplinae naturales inclaruerunt. Diu cum philosophi ARISTOTELIS jugum excusserunt, medici tamen in sententiis haerere malunt veterum, quam ipsam consulere naturam. Scilicet hanc adire sine HIPPOCRATIS et GALENI auctoritate quasi reformidant, tamquam major quaedam reverentia debeatur naturae ministris quam naturae ipsi, de quo errore exstant BACONI, HARVEYI, NEWTONI, aliorum testimonia praeclara. Operum solo ingenio excellentium splendidissima sane exemplaria a veteribus nobis relicta sunt; ejus tamen doctrinae, quae tota pendet ex experientia, recentissimi auctores majorem auctoritatem sibi vindicant. Verum tamen mittenda jam est res taedii plena et odii; tum quoniam piget doctum quemlibet dicere vel audire quamcumque veterum criminationem, tum quoniam revera veterum scripta vix a medicis et ne vix quidem leguntur, quamquam ea laudandi atque addiscendi mos a scriptoribus nostris haud alienus est.

Diu jam a medicis disputatum est, utrum in curandis morbis plus dandum sit experientiae vel rationi. Si experientiam appellamus eam, quae factis nititur, aliorum historia aut propria observatione nostra demonstratis, infitias ire haud possumus, medicinam practicam illius ope esse stabilitam. Sola enim atque iterata experientia didicimus, jalapae radice alvum solvi, ipecacuanha cieri vomitum, papavere somnum effici, peruviano cortice curari febrem atque hydrargyro salivam elici. Haud ullum nobis offeret materia medica morbi remedium, sive ullam ars therapeutica medendi formulam, cujus efficaciam alia via invenissemus vel explorassemus.

In rebus, quae ad regundae civitatis morumque efformandorum disciplinam pertinent, experientia stultorum dux et institutrix habetur; ad naturae vero cognitionem haud alia duce pervenimus; itaque practica medicina incrementa sua magis debet fortuitis rudium populorum experimentis aut aegrotorum teme-

ritati, quam ratiocinationi clarissimorum professorum, qui sapientiam ex academiarum cathedris venditant. Pauci enim illorum nova nobis medicamina suppeditarunt, vel antea cognitorum usum promoverunt, vel omnino medendi artem emendarunt. Itaque laudes, quibus vivos illos discipulorum turba cumulabat, a posteris, nullo partium studio excitatis, dissipatae sunt, atque ipsi professores in clarorum praedecessorum inciderunt sortem, qua scilicet nomina sua oblivioni traderentur neque scripta amplius legerentur.

Cavendum tamen est, ne ipsa experientia decipiamur, quae systematis, ut vocant, formam prae se fert, cujus jam notio indicare videtur, observationes ac facta non esse simpliciter exposita, sed causae sive principio cuidam, quod auctor primum esse statuit, accommodata ac ad illius normam in certum quendam ordinem redacta. Etenim hoc modo facile res aliam plane induent formam atque naturam, ut loco a scriptoribus assignato aptae videantur. Quemadmodum Judaei altare suum e saxis rudibus nulloque instrumento tactis construere jubebantur, sic etiam naturae cognitio ea potissimum utitur materia, quae factis solis constituitur. Quicunque haec immutare et exornare voluerit, ut systemati seu doctrinae suae excogitatae respondeant, is sane dedecoravit ea ineptaque reddidit ad veritatis altare exstruendum.

Neque tamen ideo metuendum est, medicinae studium e sola pendens experientia nimis facile reddi ipsamque artem, doctrinarum vallo haud munitam, rudi cuilibet indoctoque aggressori patere. Reprehensionis hujus gravitas maxime cadit in medicinam theoria et hypothesi conflatam, quae quidem ad efformandos vulgo medicos plurimum valet. Phantasiae effervescentis speciem quandam doctrinae nanciscimur, multo tamen ab ea diversam, quae usu atque studio paratur. Experientiae via molestissima habetur eamque ingressuris tum judicio haud mediocri, tum patientia opus est. Vulgo tamen contraria sententia dominatur, unoquoque idoneum semet judicem aestimante experientiae medicae, vel fidem habente iis, qui illius participes semet esse factos declarant. Verumtamen ut verum judicium de hac re feratur,

oportet liberali educatione eruditum atque ad mentis aciem exhibendam a primis exercitatum esse, neque perspexisse tantum materiae medicae naturam, sed etiam varias opiniones, pseudo-philosophiam, vocabulorum ineptias aliosque errorum fontes, e quibus medicaminum vires vel dictae sunt vel adhuc ducuntur. Praeterea difficillimum est statuere de eo, quod confusum vel incongruum sensibus objicitur, verusque medicaminis effectus habetur.

Cinchonae cortex per quadraginta saltem annos Europaeis notus erat atque in usum vocatus, antequam ejus vires atque doses accuratius explorarentur. Magis patere sensibus videtur vis remediorum, quae lithothryptica vocantur, quam reliquorum medicaminum; at nuper quam arduum erat Stephensii calculorum medicinam, quamvis saepenumero adhibitam optimisque judicibus probatam, explicare! Itaque haud mirum videtur, quod innumerabilium medicaminum catholicorum aut universalium, quibus a primis inde temporibus omne fere aevum omnisque natio fidem habuit, nullum plane hodie supersit; etenim ex immensa illa farragine medicaminum specificorum seu medendis singulis morbis aptorum, quae fautorum laude haud carebant [1], cortex peruvianus et hydrargyrum sola fere sunt, temporis et experientiae lydio lapide comprobata.

Quae cum ita sint, ut medendi ars nihil fere rationi, omnia autem experientiae debeat, statuit medicorum Londinensium Collegium experimenta sociorum suorum colligere atque consilium sequi Societatis Regiae (*Royal Society*) aliorumque Societatum literatarum; itaque, e traditis sibi commentariis optimos quosque in publicum proferet. Saepenumero accidit, ut hac opportunitate destituti medici satis idonei secum e vita auferrent experientiam per quadraginta annos collectam, tumuloque quasi conderent, quam viis nunc propositis servare potuissent, utilemque reddere tum coaevis suis tum posteris.

Leguntur quidem commentarii medici in libris Actorum Philosophicorum (*Philosophical Transactions*)

[1] Communi enim fit vitio naturae, ut invisis, latitantibus et intentatis atque incognitis rebus magis confidamus. *Caesar.* de bello civ. lib. II. c. 4.

atque in diariis aliarum Societatum doctarum; credibile tamen est, ipsos medicos huic operam dantes negotio majorem exhibituros esse commentariorum copiam, quae studiosius selecta neque reliquorum scriptorum voluminibus obruta certius quoque ad medicos lectores est perventura.

Quodsi Collegii nostri consilium probetur (atque fore ut probetur omnia sperare jubent) id profecto efficietur, ut in quovis medico nobiscum conjuncto animus singulariter excitetur et exerceatur ad observanda quaelibet notatu digna ac ad efficiendas inde conclusiones, qua scil. ratione permultae res conservabuntur, quae praeterea tum omnes doctos, tum ipsum observatorem latuissent.

Quamquam Collegium nostrum id maxime habet in votis, ut morborum historiae perficiantur et medicaminum vires explorentur, alii tamen commentarii quomodocunque ad artem medicam spectantes locum suum apud nos invenient.

Quidam eorum, qui conscriptas observationes suas ediderunt, singulari studio versari videntur in rebus, quae rarae et insolitae antea non evenerant neque unquam posthac evenient. Quamvis ejusmodi res notatu dignae sint atque docere aliquid valeant, non ideo proferendae sunt, nisi id tantum agimus, ut lector delectationem explendae curiositatis causa e scriptis nostris capiat. Quodsi ex arbitrio pendet scriptoris, aut insolitos morborum casus et medelas promulgare, aut frequentius observatos quotidieque obvios enarrare, describendis hisce magis consulet lectorum utilitati propriaeque auctoritati; atque relinquet, uti proverbio fertur, θαύματα μώροις.

Optabile quoque est, ut scriptores non solum ea, quae prospere iis cesserunt, describant, sed etiam eventus inefficaces infelicesque. Nonnumquam enim aeque utile est cognovisse res, quae salutem laedunt, atque ei obstare solent, nisi diligenter evitantur, ac eas, quae emolumento sunt; itaque medicus quisque experientissimus perutilem conscribere potest commentarium de iis medicaminibus medendique viis, quas inutiles vel incongruas esse intellexit.

Singula exempla catalepsiae, hydrophobiae, aliorumve morborum rariorum descriptu digna sunt; vulgo tamen obviorum historiae lectori magis tae-

dium, quam utilitatem quandam afferent. Facile scriptur quilibet idoneus additamenta sola vel exceptiones in medium proferet atque ab expositione fastidiosa signorum sive symptomatum maxime cognitorum abstinebit.

Si forsitan commentarii nonnulli, Collegii nostri auctoritate editi, exspectationem lectoris fefellerint, is pro humanitate sua excusatos eos habeat; cujus tamen veniae dandae opportunitatem raram futuram esse confidimus. In societate tam exigua, cujus ipsi sodales invicem se norunt, concedendum aliquid est urbanitati, siquidem fit interdum, ut scriptor opus suum, cujus ipse haud idoneus judex esse solet, amore amplectatur majori, quam par est, itaque Collegium gratiam faciat commentario non tam scripti, quam scriptoris causa. Quod rarissime tamen fiet neque unquam in re graviori; res minoris momenti e causa illa ortas aequus lector excusabit; nisi enim indulgentiam quandam adhibemus, consilium nostrum exsequi non licet, atque sine gratiae largitione nonnunquam necessarii commentarii vere utiles gravesque perderentur.

II.

De rheumatismo chronico.

Rheumatismus chronicus, qui morbus saepenumero rheumatismus vocatur ac interdum pro ipsa arthritide habetur, revera a morbo articulari et rheumatismo acuto discrepat atque ab utroque modo distinguendus est.

Febris atque dolor, quae rheumatismum acutum comitantur, hic fere desunt. Tumores plerumque insignes existunt, sed ruboris fere expertes; si a pedibus incipiunt, quod raro accidit, his mox relictis ad alias membrorum partes transeunt, quae singulae deinceps morbi sedem in prima jam accessione exhibent. Dolores vero arthritici, excepto saltem tumore, aliam plane naturam prae se ferunt. Accurata harum rerum observatio jam a primis inde

diebus aptos nos reddet ad ferendam sententiam de mali natura, quae luculentius dein patebit e magna membrorum debilitate atque insigni salutis perturbatione, quippe quod aegroti saepenumero una rheumatismi chronici invasione insignius salutis suae detrimentum patiuntur, quam quotanni morbi articularis reditu.

Arthritide affecti maxime obnoxii esse videntur paralysi et apoplexiae; praeterea membrorum usus frequenti articulorum inflammatione aut musculorum contractionibus tollitur. Omnia tamen haec mala temporis processu evanescunt pareuntque interdum aegrotis vel leviter eos afficiunt. Atque rheumatismi chronici prima accessio, quae nonnunquam per menses plures protrahitur, irreparabilem membris injuriam affert. Efficit enim membrorum debilitatem ab ipsa resolutione haud alienam usumque eorum per totam reliquam vitam insigniter laedit. Morbus frequenter recidivus sex annorum spatio penitus membrorum omnium usum sustulit, quod morbi vehementiae vel primo mali anno factum esse compertum habetur.

Insignitur etiam hoc rheumatismi genus longitudine temporis, quod accessio prima occupat, plurimis per tres quatuorve menses aegrotantibus; verae tamen arthritidis primus insultus vix ultra vigesimum diem protrahitur. Facilius quoque longus revertitur quam acutus, quo multi semel neque dein amplius affecti sunt. Quamquam vero rheumatismi chronici invasiones frequenter accidant, intervallis tamen magis inaequalibus inter se distant quam in morbo articulari. Nam interdum per complurium annorum spatium semel quotannis apparet morbus, alias bis terve ingruit; sunt etiam aegroti, quos plures per annos vix unquam reliquit, aliique, in quibus per quinque, sex, vel viginti annos extinctus fere jacuit.

Convulsiones aeque hunc morbum ac arthritidem comitantur. Tumores eo excitati nonnunquam satis magni sunt, remanentque eorum vestigia per annos vel totam aegroti vitam maxime in carpis, interdum quoque in digitis calcibusque. Dolores lecti calore non augentur sicut in rheumatismo acuto, sed potius minuuntur; contrarium accidere equidem saltem rarissime observavi. Ventriculus et intestina saepius

et citius hoc morbo, quam vera arthritide afficiuntur; etenim dolor, nausea et languor illarum partium fere nunquam desunt. Calido emplastro vel linimento affectis partibus imposito statim rejici morbum in intestina, ac nonnunquam ventriculum et membra vicissim doloribus affligi vidimus. Abdominalium viscerum aegritudo membrorumque debilitas morbum hunc haud raro similem reddunt colicae Pictonum; utrumque malum celerem sanitatis labem adducit.

Neque sexus, neque aetatis cujusdam proprius est; divites pauperesque aeque ei subjiciuntur. Magis tamen mulieres quam viros eo laborantes videre mihi contigit. In quibusdam ab anno aetatis duodecimo incepit, alios post sexagesimum aetatis annum invasit. Quaeritur, annon quodammodo hereditarius sit.

Principio rheumatismus chronicus mitiorem formam induere videtur quam acutus vel arthritis; vi tamen sua corporibus infesta, scilicet maxima debilitate, membrorum fere resolutione atque universae valetudinis perturbatione, quam efficit, plerumque terribilior evadit, quam malum alteratrum. Consentaneum esset hunc morbum propter symptomatum et effectus diversitatem singulari insignire nomine, eumque arthritidem notham vel vagam aut rheumatismum chronicum appellare, ne cum aliis aegritudinibus confundatur.

Aquae Bathonicae et Buxtoniae, remedia antimonialia et mercurialia, balnea calida, frigida atque marina, emplastra vesicantia, linimenta tepida nonnunquam aegrotis profuerunt; aliis, quibus praeterea venam secare, alvum ducere, sudorem elicere et vim electricam adhibere conduxit, nullam plane utilitatem, aliis quinimo damnum attulerunt. Diuturnus medicaminum mercurialium usus aegritudinem nostrae similem efficere visus est, namque eam in eodem homine quinquies vel sexies effecit, scilicet quotiescunque aegrotus mercurio uteretur.

Nemo profecto mirabitur, nullam adhuc inventam esse certam medendi rationem contra morbum, cujus ipsa natura atque indoles parum liquet. Quod cum ita sit, officio suo jam satisfecit medicus, si ratione symptomatum gravissimorum habita levamentum qualecunque aegroto afferre ipsumque naturam ita exci-

tare valuerit, ut haec vitam alienatam quomodocunque ad sanitatem reducere queat. Quam ad rem conferet cautus opii usus; juvat quoque ciborum appetitum et concoctionem confirmare cortice peruviano, medicamentis amaris aliisque stomachicis, quae omnia non solum huic, sed etiam articulari morbo conducere videntur.

III.

Observationes de pulsu arteriarum.

Plerisque ad medicinae studium se applicantibus permulta intellectu difficilia videbuntur, quae ad doctrinam de pulsu a Bellino aliisque traditam pertinent; ipsam vero doctrinam vix et ne vix quidem ab ejus auctoribus intellectam fuisse facile quilibet artis peritior perspiciet. Etenim ad varias illas et multiplices pulsuum differentias, nisi omnino phantasiae vi producuntur, in cognoscendis et medendis morbis parum respicitur. Atque hodie tantopere illae evanuerunt, ut plurima pulsuum nomina inaudita fere sint, quasi nunquam exstitissent; quid? quod dubitari potest, an quaedam eorum, quae adhuc circumferuntur, ab omnibus eodem sensu usurpentur et intelligantur. Equidem saepenumero vidi medicos, aetate et artis excellentia conspicuos, judicia ferre de pulsu duro, pleno, debili et parvo tantopere discrepantia, ut eos eandem rem non eodem appellasse nomine mihi persuasum fuerit.

Caussa haec est, cur in votis habemus, ut medici in doctrina de arteriarum pulsibus atque in morborum historiis ad eas potissimum res advertissent animum, quibus neque ipsos falli neque alios in errorem induci fas erat. Unum est, quod cum hujus rationis, tum gravitatis suae caussa maxime considerandum est, scilicet pulsuum frequentia vel celeritas, quae, quamquam a scriptoribus quibusdam distinguantur, a me tamquam synonyma in usum vocabuntur. Eadem enim deprehenditur in omnibus

fere corporis partibus, neque arteriae rigiditate vel laxitate, magnitudine vel parvitate, situ profundo vel magis externo mutatur; etiam numerari potest eamque ob causam accurate describi atque cum aliis communicari.

Pauci tantum scriptores ad pulsuum celeritatem, quatenus ex aetatibus pendet atque morbis, respexerunt. Quam ad doctrinam stabiliendam cum permultis opus sit observationibus, inservient fortasse a me factae ad corroborandam, emendandam vel amplificandam experientiam aliorum. Ceterum non ignorari oportet, pulsuum numerum, quotiescunque ejus apud nos mentio facta fuerit, referendum esse ad sexagesimam horae partem.

Infantibus, qui nondum secundum annum expleverunt, non nisi dormientibus pulsus explorandus est, qui scilicet magnopere acceleratur nova quavis sensuum affectione vigiliam illorum perpetuo fere exercitante. In infante sano atque dormiente ipsa die, qua partu in lucem editus est, centum triginta vel quadraginta pulsus arteriarum numerantur; per primum mensem circiter centum viginti; saepius tamen idem numerus adest ac prima die, neque ego minorem eum quam centum octo pulsuum observavi. Primo vitae anno pulsus centum octo vel viginti tactu percipiuntur, secundo nonaginta vel centum octo, tertio octoginta vel centum, quarto, quinto et sexto anno fere totidem. Septimo aetatis anno nonnunquam vix pulsus septuaginta duo numerare licet, plerumque tamen amplius; atque anno duodecimo sanorum liberorum arteriae saepe vix septuagies pulsant, quamobrem, nisi aegritudine aliave causa accelerantur, tot atque in adultis pulsus adesse solent, quorum numerus medius quidem est inter sexaginta et octoginta. Constat quoque post largam ciborum assumtionem solito pulsuum numero decem vel duodecim addi.

Ubi infantis vel adulti hominis pulsus ita acceleratur, ut sexagesimo quovis horae momento numerus sanis hominibus positus decem ictibus augeatur, metuendum est, ne quaedam valetudo adversa jam subsit. Veruntamen infantes adeo irritabiles sunt, ut jam febricula ita centum quadraginta arteriae pulsus efficiat; quid? quod centum

sexaginta impune feruntur. Cum vero tantopere accelerati non nisi aegre numerari queant, solidiorem quam ipse pulsus ansam nobis praebent judicandi de febris vi, ipsa sitis, spiritus anxie et celeriter ductus, cibi fastidium maximeque somni fuga.

Infans biennis interim potest febre inflammatoria, quamquam illius arteria non nisi centum edat quadraginta pulsus; vidi equidem quatuor annorum puerum, aliumque nonum agentem aetatis annum, utrumque restitutum a febre, quae in illo pulsus centum quinquaginta sex effecerat, in hoc centum quinquaginta duo.

Cum infantis arteriae quinquiesdecies vel vicies minus pulsant, quam par est, simulque aegritudinis haud mediocris signa observantur, scire oportet cerebrum esse male affectum, quamobrem quietus ille arteriarum pulsus non solum non bonam spem, sed metum potius periculi cujusdam imminentis excitabit.

In hominibus adultis, febre inflammatoria affectis, vix aliquid periculi metuendum est, ubi pulsus vix centum percipiuntur; centum viginti instare periculum declarant; qui hunc numerum excedunt, plerumque morbum delirii haud expertem ipsique morti finitimum indicant. Duo tamen sunt observationem istam aliquantisper infringentia: primum, quod, antequam in febribus tumor quidem criticus sive materiae qualiscunque depositio appareat, arteriarum pulsus vulgo tantopere accelerantur vel miscentur, ut definiri non possint; alterum in rheumatismo acuto cernitur, quo saepenumero pulsus fiunt centum viginti sine ullo tamen aegroti periculo. Utraque vero aegritudine, quod in promtu est observatori, ciborum appetitus, sensuum actio, somnus, corporisque robur multo minus laeduntur, quam aliis malis, instanti vitae periculo concomitatis.

Quamquam difficile sit horae momento plus centum quadraginta numerare pulsus, praecipue si tempore et vi inaequales prodeunt, mihi tamen eorum, qui discerni poterunt, centum octoginta numerare contigit.

Asthmate laborantes saepe mali accessionem insolenter gravem patiuntur, quae probabiliter magna pulmonum inflammatione efficitur. Quodsi tum con-

morbum ventriculi primum fuisse, et vertiginem secundum locum obtinere.

Dolores capitis atroces, surditas, aures intus sonantes, rerum omnium ante oculos duplicatio, coecitates breves, caligines, maculae nigrae, vel flammulae versantes ob oculos, cursus sanguinis e naribus, mala hypochondriaca et hysterica, minae vel accessiones paralyseos, spasmi et nervorum distensiones, sunt manifesta capitis laborantis signa; et ubi nonnulla ex his, ut saepe fit, cum vertigine nascuntur, vix dubium erit, quin morbus in cerebro situs sit.

Vertigo modo fuit cum languore, tremoribus, animae defectionibus, et palpitationibus; modo supervenit arthritidi vetustae, longis febribus intermittentibus, asthmati inveterato, profusionibus sanguinis aut alvi, et aliis morbis diuturnis; saepe etiam reperta est in magno illo malorum concursu, quae accedunt valetudini perturbatae, seu fiat a menstruis vel haemorrhoidibus suppressis, sive ab humore ulcerum et vitiorum cutis intus verso, seu denique intemperantia, morbis, aut senectute penitus conquassata sit. Quinetiam vertigo interdum sola incidit sine quibusvis aliis adversae valetudinis signis.

Siquidem certa res sit vertiginem ex alio morbo pendere, ad hunc tota curatio procul dubio erit dirigenda. Non tamen est dissimulandum, signa in vertigine adversa interdum adeo esse perplexa, ut difficile sit judicare, ad quam potissimum causam vertigo sit referenda; vel rationem reddere cur eadem omnibus in similibus casis non opitulentur.

Ex his, quae de hoc affectu annotavi, video vomitum, et alvum fusam, sponte sua supervenientes, semper fuisse auxilio; ea autem quae sequuntur semper nocuisse: nimirum, pulverem ex nicotiana naribus haustum, occupationes nimias, defatigationem, turbam hominum, somnum, corporis inclinationem, stare diutius, ambulare, corporis situm in lecto mutare, calorem coeli, jejunia longa, et pleraque remedia exinanientia.

In numero praesidiorum contra hanc aegritudinem habentur cucurbitulae admotae cum ferro, haemorrhoides, sanguinis detractio per hirudines vel incisa vena, emplastra cantharidis, vitia cutis, vomitus, ulcuscula, lavatio frigida, et arthritis. Sed molestum

est, quod pleraque ex his saepe spem aegrorum deluserunt, maxime arthritis, et emplastra cantharidis. Venae incisio, et quae vehementius purgant, saepius fuerunt detrimento quam auxilio; vel saltem parum profecerunt. Vix ausim affirmare, aquas Bathonicas non esse alienas: at certe nunquam mihi visae sunt profuisse. Cucurbitulae saepe nihil profecerunt ad praesentem vertiginem; sed multis insigni fuerunt praesidio, vel prohibendo vel mitigando accessiones, ubi alternis mensibus admotae sunt sic ut sanguinis sex unciae detraherentur.

Periculum intentatum a vertigine, et difficultas ei medendi, aestimanda sunt a genere et numero malorum accidentium. Siquidem haec pauca fuerint, et a stomacho solo orta, multo facilius erit morbo succurrere, quam si signa sint capitis graviter affecti, cujus curatio est taedii plena et incerta. In affectibus hypochondriacis vertigo nullum periculum habet, quamquam promte submoveri nequeat. Quodsi unum tantummodo ex plurimis malis sit, quae corpus morbis et annis fractum ad sepulchrum deducunt, nihil spei reliquum erit aut in medicina, aut in natura.

Ubi vertigo per se sola fit, saepe videtur oriri ex causis omnino levibus, quae valetudinem corporis haud multum perturbant, nedum in periculum adducunt. Cognovi juvenes tam vehementer laborantes, ut fere conciderent, in quibus morbus sua sponte recessit, nec impedivit quo minus ad summam senectutem pervenirent; aliis quoque identidem molestus fuit triginta annos, qui ceteris in rebus satis commoda valetudine fruebantur.

CAPUT XCIX.

De vomitu.

Facultas vomendi admodum diversa est in diversis hominibus. In quibusdam vomitus nullo modo excitari potest; in aliis movetur aegre, et non sine magno dolore; dum alii promtissimi sunt ad vomendum

[1] Vide quae de nausea supra praecepta sunt.

levissima de causa, et cum minima contentione. Unum vidi, in quo ruminatio quaedam contigit similis illius, quae fit in pecoribus; et cibus aliquando nimis diu in stomacho maneret priusquam in os ascenderet, solebat acescere et nauseam facere; et tandem vomebatur.

Vomitus videtur adeo naturae adversari, ut, nisi crebro usu edocti essemus, vix credibile esset eum impune moveri posse bis terve quotidie per multos annos, quod factum novi. Femina quaedam omnia, quae sumserat, vomere videbatur per triginta annos. Quin etiam interdum, quamquam omnis cibus vomi appareret, homo tamen commode valuit, aut etiam impletus est. Gravidis non paucis visum est illud, quod vomuit, superare modum cibi potusque, idque diutius, incolumi matris et fetus salute.

Ebriosi, et praegnantes, matutino tempore praecipue nausea tentantur. Idem malum sobrios interdum exercet: sed in his frequentius est, ut vel statim, vel paucis horis a cibo nausea fiat, quae deinde brevi desinit in vomitum.

Ventriculus saepe laborat malis non suis, simul dolens cum aliis corporis partibus. Multis etiam vitiis sibi propriis opportunus est, quae prohibent cibum vel capere, vel retinere. Nonnulla ex his in cadaveribus deprehenduntur, qualia sunt scirrhi, qui cardiam aut pylorum impediunt. Alii hujus visceris morbi pendent e nondum cognitis ejus facultatibus, et nullum sui vestigium sensibus obvium post mortem relinquunt; quemadmodum nec relinqueretur ab ista nausea, quam movet nuntius tristis, vel res foeda, oculis aut memoriae subjecta. Memini virum, qui annos paucos vomendo reddidit fere quicquid devorarat, et praeterea multum cruoris; cujus tamen ventriculus et intestina post mortem nullum morbi indicium ferebant, quod duo expertissimi ac sagacissimi anatomici possent detegere.

Ventriculus modo reddit cibum crudum, modo humorem salsum, vel acidum; interdum pituitam; et post magnos conatus bilis quoque in stomachum propulsa vomitur. Nescio quid pingue, et in igne flammam concipiens, nonnunquam post cibum pergit ad breve tempus e ventriculo in os ascendere. Postremo sanguis, vel cruentum aliquid, a quibusdam vomitum

est quotidie per multos dies; ex quo magna debilitas secuta est. Idem malum in aliis semel et iterum quotannis reversum est; et quanquam dolorem ventriculi aliquantum levarit, semper tamen signum fuit vitii nec levis, nec periculo vacantis. Copia cruoris, qualis videtur, plus terreret, siquidem totus purus putus sanguis esset, qui fortasse exigua tantummodo pars est ejus quod vomitur. Hujus generis vomitus, quem alii quotannis subinde experti sunt diutius, alios intra triduum sustulit. Stercora in his aegris vel cruenta, vel atra sunt.

Non aliam hujus casus curationem novi, quam quae a me alio libro exposita est [1]. Quantum autem praesidii sit in quiete, et animi tranquillitate, et refrigerantibus, praeclare intellexi ex quadam aegrota, in qua vel minimum vini sumtum, vel aqua tepida manibus injecta, vel accessio prope ad ignem, vel lectus tepefactus, vel emplastrum cantharidis, vel solutio alvi, et qualiscunque mentis perturbatio, profusionem sanguinis semper induxerunt.

Vomitui longo, qui sine sanguine fit, purgantia, equitatio, et pinguia omnia sunt aliena: quod stomachus ultro reddit, nihil profecit; et vomitus medicamento excitatus modo fuit supervacuus, modo forsitan perniciosus. Unus ex his aegrotis mihi retulit se ea fuisse constantia, ut vomere perseverasset circiter quadragies, sine minimo auxilio. Neque tamen idcirco in his casibus semper abstinendum esse censeo ab hoc remedio; quin potius ubique ab eo incipere oportebit. Ad nauseam recentem remedium praesentissimum est vomere cogere; et vix definire possumus, quo demum tempore morbus incipiat esse inveteratior, quam ut eo modo levari possit. Tum vero noxam, si qua sit, in vomitu movendo, crediderim semper esse perquam levem. Aquae Bathonicae vi propria valent adversus vomitum matutinum ebriosorum: ad aliorum nauseam saepe non profuerunt. Medicamentum, quod habet linimenti saponis partes tres, tincturae opii partem unam, ventri illitum, multis fuit utilissimum. Emplastrum quoque cantharidis impositum proxime ventriculum his aegris subvenit. Aliis auxilio fuerunt acida, aliis sales alkalini, et pul-

[1] *Medical Transactions*, vol. II. qu. 4.

primarum viarum. Nonnunquam tamen vim salutiferam exercuisse visae sunt, quoniam plurimae haemorrhagiae externa violentia oriuntur, tristemque haberent exitum, nisi ad sistendas eas aliquid auxilii afferretur. Hinc factum est, ut magna externorum internorumque medicaminum copia immerito famam adepta sit remediorum hujus mali specificorum, ut a medicis appellantur. Quo nomine vocari ex opinione mea saccharum saturni intrinsecus datum meretur, cujus tamen sicut reliquorum medicaminum e plumbo paratorum usus non expers est gravissimae noxae. Quandoquidem enim illa vidi adhibita, vix unquam actio eorum salutaris, quam tamquam styptica exercent, compensare potuit permulta illa atque certissima damna, quae internam eorum assumtionem sequuntur.

INDEX.

A.

B.

C.

E.

G.

I.

L.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

U.





